MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE ORATIONE AD DEVM

Dialogus, qui Marinus inſcribitur.

NOVITER IMPRESSVS, AC OMNI CVRA A MENDIS excuſſus, opus maxime fidelibus neceſſarium.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS APVD FRANCISCVM DE PORTONARIIS
M D LVII.

.C . T.

MARCVS ANTONIVS NATTA MARGARITAE PALEOLOGAE MANTVAE DVCISSAE ET MONTISFERRATI MARCHIONISSAE ILLVSTRISSIMAE.

S. P. D.

EXIT A ME OPVS NOVVM Illustrissima Princeps solenni titulo: Nam eo exprimitur officiũ quod homini competit pio, & quod habet quadam ex parte cũ Angelis commune. Facturus operæpretiũ videor, si quid ad confectionẽ eius me impulerit enarrabo: nam si id fecerò, ostendetur fusè magis & dilucidè quantam rem opus istud ferat, & fuerit ad materiam ipsam hæc veluti quædam præ foribus præelusio, quo magis vnicuiq; libeat intrare. Ego quum mecum animo sæpe reputarem, quæ nam potissimum humanarum actionum Deo nos coniungere & affigere vtcunque valeret, dum mortali hac vita detinemur, nihil magis existimaui ad id conducere, quàm orationem: qua deiecti mente agnoscentes imbecillitatem & miseriam nostram, diuinam eius clementiam & benignitatẽ imploramus, quod etiam vetustissimis Theologis video placuisse, qui eam sic diffiniunt, vt nihil aliud sit Oratio, quàm ascensus mentis in Deum: qua in re admirabile illud, Nos qui terrenum sumus animal, intantum scandere, vt perueniamus ad eum, qui supra omnia est: quem liceat statim alloqui, omnesq; animi affectus coram depromere, & petere quæ petenda videntur. Quod si ille se se durum difficilemq; petitionibus nostris præberet, nec annueret omnino rogatis: magnum tamen illud benignitatis inditium, quod dignos habet, vt non de eo tantùm, sed cum eo etiam loquamur. Sed nunquam legitimas ille preces reie-

cit. Nemo vnquam pius vacuus illinc recessit, quin aut quæ petebat, aut plura etiam & meliora quam petebat, referret. Sic excipit ille petitiones, vt his, non verbis, sed beneficia largiendo respondeat. Videbam in lege veteri orationum vi & efficacia cœlum primo pluuijs clausum, deinde reseratum: placatas feras: ardorem ignis extinctum: hostes domitos; minaces prædictiones euictas: Quid nunc faciendũ est nobis post Euangelij lucem & gratiam receptam, qui non specta re præsentia, sed futura inquirere iubemur? Nonne magis Orationibus vacare debemus? vt per has grati familiaresq; Deo redditi, dimẽso vitæ huius spatio ad ingentia illa præmia veniamus, quæ alio in seculo pijs omnibus persoluuntur. Mercari hic quidlibet a Deo possumus, non auro & argento, sed supplici prece, pioq; affectu. Illud tamen ingens cœli mercimonium præ omnibus appetendum est: proq; eo assiduæ preces fundẽdæ. Magni has æstimat Deus, plusquã cætera omnia, quoniam non de nostro funduntur hæ patrimonio, sed de nobis metipsis: ideo nec dignius aliud offerre possumus. At eædem quam necessariæ? Clamat in Euangelio Dominus. Oportet semper orare & nunquam deficere: quod enim oportet fieri, id faciendum est. Recte dictum est tam necessariam esse orationem ad animorum quam cibum ad corporum salutem: quãquam in eo differant, quod cibus sæpius per diem ingestus lædit: Oratio frequenter repetita iuuat, quocirca assiduitas eius iubetur. Omnes insuper mortales ad hoc orandi munus vocantur: Nec est vlla generis, aut bonorum & dignitatum exceptio. Nam si pro Regibus & principibus alij orare iubentur, quanto magis pro se Reges ipsi & Principes orare tenentur? Dauid, qui tantus fuit Rex, & tot exercituum debellator, intempestæ etiam noctis curriculo, Orationes fundebat ad Deum: & id munus adeo regale ducebat, vt ei plurimas adderet gẽmas, lachrymas scilicet ex oculis vbertim fluentes: Nam eius illa est vox. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Hæc ego & his plura cogitans, & iam perspiciẽs magnam esse Orationis dignitatem, vim, necessitatem, dedi iandudum operam, vt quæ de ea sancti ecclesiæ Doctores dicerent cognoscerem. Ausus sum etiam quæcunq; perlegeram, in Dialogum conferre, qui Marinus inscribitur, propterea quod is inducitur concionem ea de re a Bonifacio Monacho habitam in cœtu amicorum & familiariũ recitare. Hos ego sermones multa a me cura & opera contextos, & magna ex parte de sanctorum Patrum floridissimo viri-

dario decerptos, statui Illustrissima Margarita ad te mittere, & sub tui inclyti nominis auspitio in vulgus edere, vt perpetuum id esset meæ erga te fidei & obseruantiæ monumentum. Maiores tui Montisferrati oram sub eorum ditione tenentes, familiam nostram diuitijs, opibus, magistratibus extulere. Tu quoq; per eadem vadẽs vestigia me honoribus, quos habuisti, amplissimis ornasti, & ea non petenti obtulisti, quæ petentibus multis denegasti: Quamobrem nos te quibus possumus prosequimur muneribus, & qualencunq; referre gratiam cogitamus. Solent Principes, doctos & eruditos viros prouehere, eosq; opibus suis illustrare: Illi contra nomina eorũ ingenij sui monumentis inscribunt, & quantum in ipsis est, ab interitu & obliuione vendicant. Nam beneficio duntaxat literarum veterũ hominum memoria retinetur. Nulla autem res erat, de qua ad eos non scriberetur, modo cognitione & studio digna esset liberali. Extant Vitruuij libri ad Cæsarem Augustum de Architectura, & Oppiani ad Antoninum Pium de piscibus. Legi quandoq; cuiusdam ad Constantium Cæsarem de agricultura volumina. Plinius quoque multarum literarum vir vbi herbarum narrationem aggreditur, meminit alterius, qui ad Neronem Imperatorem volumen dedit de simpliciũ effectu: Multa sunt huiusmodi penes veteres, quos recentiores scriptores imitantur. Ego tamen commodius videor hunc meum laborem ad te destinasse, quoniam hic non tractatur aliquid quod e remotissimis disciplinis petitum paucis queat innotescere, sed agitur de rẽ vulgo nota & peruulgata, de qua ipsa etiam facile cognoscere & iudicare potes: & quæ naturæ studioq; tuo non repugnat sed maxime conuenit. Sciunt omnes quanta cupiditate seu quanto potius feruore & igne quæcunque ad Christianam pietatem pertinent persequaris. Hoc non dicerem videns me latino sermone non satis tibi percepto scripsisse, nisi quod pollicitus est amicus quidam & familiaris meus curaturum se, vt hic liber Itala lingua legeretur, quod etiã præstitit. Nam si latine duntaxat loqueretur, vituperarent multi, quod id ad te pro munere dedissem, quod nec inspicere nec attrectare possis. Nulla nanq; libri clausi vtilitas. Is porro liber tibi clausus esset, qui lingua tibi pene incognita loqueretur. Nunc effectum est interpretatione, vt nihil eorum quæ hoc libro continentur, tuam effugere queat notitiam quamuis arduum atque graue; & ea de causa adduci possum, vt amem magis sermonis mei simulachrum, quam ipsum sermonem meum, cuius dicor esse pater. Non me præterit horum

temporum conſuetudo, Nam ſolent quicunq; ſcripta ſua quibuſdã dicant, eorum pariter laudes commemorare. Poſſem equidem non minus id apte facere quàm nonnulli, nec me terreret fœmineus ſexus, quoniam plures fœminas & vetuſta ſecula tulerunt, & nunc etiã noſtra ferunt omni laude dignas, quarum nomen & poetarum carminibus & aliorum ſcribentium monumentis celebratur. Enimuero (vt cætera omittam) diuinis in literis Iudith, Heſter, Debora, ob eximiam earum virtutem prædicantur. Legitur item Plutarchi ſummi Philoſophi libellus de mulieribus inſignibus, quo complexus eſt plurimas mulieres, quæ egregia facinora tum ſibi, tum ciuitatibus ſuis vtiliſsima pepererunt. Diuus quoque Hieronymus plures ſui ſeculi fœminas commendat: & quaſdam exiſtimans multis viris fortiores & conſtantiores extitiſſe, ait eas cum ſeculo ſexum pariter viciſſe. Præſtat imbecillitas ſexus, vt quicquid illic reſidet virtutis, id maius & admirabilius cunctis eſſe videatur: Nam eo magis elucet ingeniũ artificis, quo materiæ bonitate minus adiuuatur. Ergo te iure poteram laudare, & magis quàm quenquam virum, ſed ne id faciam coram, & in epiſtola quam ad te ſcribo, dehortatur pudor, non ſolum tuus, cui maxime parcere debeo, verum etiam meus. Eſt enim impudentiæ non mediocris pudenti homini ſuas ingerere laudes. Demum appetant laudari hi, quorum laus in obſcuro ſita eſt. Tua virtus, quæcunque ea ſit, in maximarum rerum adminiſtratione perſpecta non eget ore cuiuſquam commendari. Non defuere e veteribus ſapientibus nonnulli, qui dicerent ſummam laudem eſſe mulieris, ſi non innoteſceret, & de ea pauci audiſſent, pauciores etiam vidiſſent. Eſt vbi ſententia hæc recipi valeat. At in Principe fœmina neutiquã recipitur, quam oporteat multa perſpicere, vt multorum proſpiciat ſaluti, huic certe conuenit non intra domeſticos latere parietes, ſed prodire ſæpius in ſolem (vt aiunt) & puluerem, & illo loco & ordine digna gerere, & ex geſtis innoteſcere, et clarum nomen habere, quod tibi Deo benefauente arbitror contigiſſe. Et de his quidem plura habens dicere, deſino. Vt autem ad materiam huius reuertar libri: hæc non temere propoſita nunc fuit, de qua fieret ſermo: Nam ſi vlla vnquam tempora Chriſtianorum omnium orationibus adiuuari debuerunt, hæc profecto ſunt, quibus ob potentiſsimas clariſsimorum Regum diſcordias totus Chriſtianus orbis bellorum ardet incendijs. Quod enim flumen ingenij tantum; quæ tam admirabilis dicendi facultas, vt queat horum temporum calamitates ſatis digne

complorare? Nonne omnia militari licentia fœdata fuere? quot oppida direpta? quot incensa? quam multarum matronarum & virginum violata castitas? quot patrias relinquere sedes cum coniugibus & liberis coacti, in syluas vel ad prærupta quædam saxa concesserunt? agrorum vero cultus quam late multis locis desertus? quoties collatis signis dimicatum? quæ demum caret ora Christiano sanguine? Quid exactiones referam acerbissimas, expilatas prouincias, vrbes iam iamq; ruentes? Quid Turcas claustris Christiani orbis imminentes, & magna manu inuadere paratos? & (o stultas nostras discordias) hæc tanta mala non videmus aut dissimulamus. Iratus est plane Deus, qui nos ferri præcipites & tempestatibus tam fœdis iactari permittit, Is conuersione vitæ ad meliora leniendus: Is cunctorum precibus, gemitibus, lachrymis, supplicijs flectendus atque placandus. Sed iam ad Dialogum est veniendum (is enim reliqua explicabit) quem hilari atque læta, vt suscipias fronte rogo, quemadmodum naturæ tuæ benignitas exigit: idq; si feceris, quum multum tibi debeam, me plurimum debere arbitrabor. Vale.

ALBERTI CARRETI
EX MARCHIONIBVS SAVONAE IN OPERIS COMMENDATIONEM EXASTICON.

NOn Aurũ, nec Opes, (parua hæc sunt munera) sed quo
Est iter ad Superos, hæc tibi Natta dedit.
Hoc iter est tutum, placidumq́; huc peruolat omnis
Qui mente assiduas fundit & ore preces.
Funde preces igitur. Deus has qui præcipit, audit,
Hic semper uerax, semper & Omnipotens.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE ORATIONE AD DEVM DIALOGVS QVI MARINVS INSCRIBITVR.

MARINVS

ITANE Verum Dorothee, Bonifacium monachum sermonem pridie habuisse in æde diui Secundi de oratione ad Deum precatoria, teq; ei sermoni interfuisse? nam vtrunq; relatum est. DOROTHEVS. Vtrunq; verum Marine, & Bonifacium cum sermonem habuisse, quem dicis, & me quoq; affuisse, vnà cum alijs pluribus: nam magna in multitudine acta res est. Sed num addi quoque vis (quod certè vis) Bonifacium illo die tantum fuisse, vt ambigam sæpius, vtrum sermo eius plus hominibus vtilitatis attulerit, an iucunditatis? vtroq; certè valuit: & quoniam illud Poeticum veritate non caret.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci:

Mirè à theatro fuit comprobatus. Est quidem is Bonifacio mos aptè ac ornatè dicere: non quòd voluptatem sequatur, sed quia vtilitatem cogitat facere cum voluptate: nam sic dictitat veteres ecclesiæ Doctores fecisse. Varia autem et multiplex ea de re fuit disputatio: propterea quòd non solum de sanctorum Patrum scriptis Bonifacius, sed multa etiam e gentium literis in eam congessit. Accessit quoq; illud: quòd nihil sibi prætermittẽdum illorum putauit, quæ ad susceptæ materiæ tractationem pertinerent: his de causis sermo ille omnis visus est admirabilior. Scio plurimos vel infinitos potius, idem argumentum tractasse. Quis enim è veteribus Theologis, Quis e recentioribus de oratione hac, qua supplicatur Deo, non dixit aut scripsit? Veruntamen rem tam vetustam, tanq; multis commentarijs agitatam, Bonifacius tanta tractauit grauitate

et elegantia, ut non didicisse ab aliis, sed ea ipse inuenisse videatur. Sunt nonnulli, qui absurda quædam et ridiculosa argumenta ad dicendum sibi proponunt: Alij paruarum rerum vel inutilium tractationem suscipiunt. Ego vero summa commendatione dignos iudico, qui maxima quæque et pulcherrima aggrediuntur: ad quæ iam plures accesserunt: et in quorum explicatione cupierunt omnes præclare se habere, pauci autem potuerunt. Hic mihi si quis ea vel mediocriter attigerit, amplectendus uidetur: quoniam melius est de utilibus opinari aliquid commode, quàm de inutilibus scitissime disputare: et longe præstat in magnis paululum promouere, quàm in paruis excellere: Animaduerto etiam rei difficultatem: nam facilius est parua attollere dicendo, quàm magnis suum decus et robur reddere: Facilius in ioculari materia ludere, quàm in graui et seria luculentam aliquam et succi plenam sententiam afferre. Sed ut ad Bonifacium reuertar, tractauit ille argumentum tritum et peruulgatum, et sæpius etiam in concionibus apud populum uentilatum: eadem dixit quæ superiores: sed longe, (ut mihi persuadeo) suauius et elegantius. Mutuatus est à ueteribus, unde eos superaret. Sed quid ego hæc ad uos de Bonifacio? Nota est hominis doctrina, nota eloquentia: Quid cæteris illo die acciderit nescio: præter illud, quod postquam perorauit, placuisse uisus est omnibus: quantum ex uulgi sermonibus et aliis quibusdam signis colligere poteram. Ego certe dum eum audirem, triumphare quodammodo, et quasi diuinus quidam mihi uir esse uidebar. M A R. Nemo nostrum est, qui non intelligat quantus sit in dicendo Bonifacius. Veruntamen quod ais illum non sua, sed aliena dixisse, nequaquam in eo se præclare habuisse uideri potest: D O R. Ego illum aliena, et sua, dixisse pono; aliena inuentu: sua ordine: et miro quodam dicendi more: Etenim quum in naturalium rerum cognitione quæratur de uero et falso, deque eo inter homines disceptetur: falsitas autem possit esse multiplex: et uerum unum sit: non possunt plures uerum dicere quin idem dicant: refert tamen quomodo quidque dicatur: nam unus sic, alius sic exponit. Ille autem plurimum proficit, qui apertius et luculentius, et ad suadendum accommodatius dicit: nam hunc sibi præstituit dicendi finem quicunque dicit, ut suadeatur auditor: quod et si non semper assequitur, sicut nec semper medicus ægroti salutem: tamen quantum in se ipso est, id efficere conatur. Itaque laudo ego Bonifacium quod ad dicendum pulcherrimam delegit ma-

teriam,et Christianis omnibus necessariam: quodq; in eius explicatione elegantissime versatus est. Quanquam mihi aliquando uidetur ille de oratione hac precatoria ad Deum, verba facere voluisse tanto studio, quod ipse eam valde amaret:& vt Monachus assiduè frequentaret:hacq; de causa eo melius fortasse descripsit, quo eam magis nouerat. Et (vt dicam quod sentio) idem penè fecit quod Pausias quidam Sicyonius vetus pictor. Is quum valde diligeret Glyceram municipem suam coronas vendentem;quumq; iam multa antea egregiè pinxisset,tandem pinxit ipsam, cuius amore tenebatur,coronam e varijs flosculis texentem:hæc'q; tabula, omnium quas idem artifex elaborauit,nobilissima fuit. Sic dicam Bonifaciũ id concionando prosequutum,quod maximè diligebat;& quo maximè oblectabatur:atq; ea de causa præcipuum hunc eius sermonẽ & clarissimum extitisse. Nemo enim reperietur,qui non id,cui studet,et in quo magnam temporis partem terit, non cupiat qualibet ratione attollere & commendare:amore præsertim eam ad rem stimulos & calcar addente. Hîc quid ego pictorem illum Sicyonium Bonifacio conferam? Non equidem debeo. Veruntamen pictor cupidine incitatus,depinxit mulieris formam,qua tenebatur:et quã qui vidisset, venustissimè pictam diceret:sed nihilo melior, ea visa discederet. At Bonifacium non amor tantùm rei, sed communis quoq; excitauit vtilitas,vt orationis eius,qua in Deũ ferimur, vim, dignitatem specimen effingeret:& ita expressit, vt nullam eius partem prætermitteret:& tam vehementer audientium animos commouit sermone,vt nullus æque pictor oculos penicillo potuerit cõmouere:nec inaniter ille commouit, vt pictura solet: sed quicunque sermonem eius sequi voluerint,immensum quoddam & infinitum bonum cõsequentur. MAR. Quo maiora hæc fecisti,eo nos maior cupiditas sciendi illa tenet. An non dixisti nuper q̃ quum Bonifacium audiebas,triumphare & diuinus quodammodo vir tibi esse videbare? DOR. Dixi equidem. MAR. Quàm diuinus tunc fueris audiendo,nihil ad nos, qui adsumus: nisi nunc diuinaueris quid per te modo fieri,cunctus hic cœtus appetat. DOR. Et si forsitan diuinare possem,tamen ignorare malo:ne mihi onus ea referendi iniungatis. MAR. At qui si dissimulas te intelligere quid cupimus: pergisq; cupiditatem nostram negligere,non modo diuinè id facis, sed ne humanè quidem; vt qui graueris communia amicis facere, quæ didicisti:& discendo profecisti.Etenim quo nos ire iubes? aut

quem potius alium percunctemur illis de rebus, quàm te? qui & ea attentissime audisti, & quem etiam puto (nisi me omnia fallūt) pendentem de ore Bonifacij, non sententias solùm; sed etiam verba seriatim excepisse? & vbi domum reuenisti, adnotasse & in libellum retulisse? Quid subrides? DOR. Quia dum diuinare me vis, ipse potius diuinasti: Facta sunt enim, quæ dicis, omnia: nisi q̄ sententias, non etiam singula verba stilo sum prosequutus: quod fieri vix potuit: eumq; ipsum libellum sinu contineo Pudet tamen audaciæ; qui quum ad exemplar ipsum scripta mea confero, video longo interuallo omnia distantia: nam præter id, q̄ sermo ab ore prolatus efficacior est, & penetrabilior: tanquam spirans, & quem actio corporis commendet: in qua multo maiores eloquentiæ partes positas veteres crediderunt: quis deinceps nostrum possit Bonifacij vim, grauitatem, subtilitatem dicendo æquare? Necesse igitur fuerit literulas nostras squalidiores vobis videri ob has causas quas retuli. MAR. Quin tu omittis ista, quæ solent esse Rhetorum procemia sæpius decantata: & profers libellum, nisi nostram mauis vim experiri: nos enim multi, tu vnus: nec Protheus es, vt illudas. Num etiā tergiuersaris? ac ne illud quidem cogitas accessisse illud proprium tibi lucrum. quod ego tamen, vt commune pono, quòd non necesse tibi fuerit ex tempore dicere, & nobis audire. Siquidem & tu adhibito studio ea scripsisti, & nos diligentius in scripto singula considerare possumus. Exhibe igitur: et omnem iam morā amoue. DOR. Illud tamen peto: si tenuis & humilis fuerit hæc conscriptio: si inferiora omnia expectatione vestra; si deniq; peccatum fuerit in quibusdam: memineritis Bonifacium extra omnem noxiam esse: meā vnius propriam esse culpam. MAR. Nihil erit negocij id meminisse: te præsertim admonente: profer iam. DOR. En tibi libellū: non longus est, inspice, & lege. MAR. QVANTVM afferat fructum mortalibus Oratio, quæ ore funditur, ad placandum, vel exorandum diuinum numen, multis olim innotuit exemplis: quæ ne quis dicat fabulosa; humano inuentu prolata: statuo primùm inuiolabili vti sacrarum scripturarum testimonio. Norunt nanq; veteris testamenti studiosi, Hebræum populum quum Aegyptiacam seruitutem exuisset, deserta peragrantem, hostes vertisse armatos non tam pugnando, quàm precando: Dum Moses manus ad cœlū tolleret, prospectabat e colle, quem insidebat vincentes suos: sternebantur Amalachitæ passim ab Israelitico exercitu: vbi demiserat,

vincebantur, qui modo uincebant. Non aderat Moses in pugna: ueruntamen absens suis hostem tremefaciebat manibus in orantis habitum formatis: eosq; prosternendos praeliantibus suis praebebat: nec minus ille caeteris, imo plus uniuersis in illam contulit pugnam. Ostensum est tunc quid orationes possent: quum in ipsa praelij atrocitate Orantis ducis habitus tantum ualeret. Hinc quum Balac filius Sephor Moabitarum Rex, aduersus se tendentem populũ uideret, quem precationibus quibusdam uti acceperat: quibus nulla nec tela, nec arma possent conferri; non coëgit statim ualidam armatorum manum: non delectum habuit fortissimorum uirorum: nõ copias parauit: sed aduocat per legatos muneribus praelatis Balaam celeberrimum illa tempestate uirum: ut maledicta iacularetur in hostem tanquam contraria uerba uerbis pararet, & precibus preces. Audiant hoc Reges nostri velim, qui vtinam bella gesturi viderentur, ac non potius gererent, cum summa internitione vrbium ac populorum: Veruntamen si quandoq; pia ac salutaria bella susciperẽt, attendere vellem illos ac percipere, quanta Orationis sit vis, quam instructi armatiq; nequeant exercitus sustinere: Non omnia in robore & lacertis militum, et ingenio ducum esse posita, sed in illis verbis, quae pia mente Deo persoluuntur, inesse magnum aliquid atq; praestans: quod victoriam praestaret: quod efficeret, quae ferro & acie vix possent expleri. Irruebat Israelitica pubes armis instructa verborum: Nulla resistere poterat natio: copiam paupertas, multitudinem paucitas obterebat: arma deniq; verbis superabantur: ita enim fama illorum temporum ferebat: esse populum quendam in terris, qui non tam gladio, quàm ore, aduersus hostem pugnaret: spiritu vibraret: orationibus praeliaretur: & qua facilitate armenta faucibus gramina in campis desecant, eadem illi labijs aduersos protererent armatos. Nam iam dixerat ad maiores natu Moabitarum idem Balac: sibi tum metuens, & rebus suis diffidens; q quemadmodum vitulus ablingit herbam viridem, ita populus Israel ablinget cunctos, qui in circuitu sunt. Vsus est vituli exemplo: vt ostenderet Israelitas non tam manu & armis, quam ore & lingua ad excidendos hostes vti solere. Illud etiam quod circunlatione Arcae Dominicae, & clangentibus tubis & acclamatione vniuersi exercitus Hiericuntis moenia corruerunt; ex quo vrbs capta; direpta atq; incensa fuit: nonne indicat precibus magis & pietatis studio, quàm ferro & armis victoriam esse quaesitam? Demum non

alia ratione formidolosus tunc erat Israeliticus exercitus cunctis gẽtibus & nationibus, quam ꝙ Deum suum auxiliantem & sibi suffragantem haberet. Et hæc quidem vetera. Recentius illud Theodosij. Ille nanq; dimicaturus pro imperio aduersus Eugenium, qui alpes occupauerat, vt Theodosium a transitu arceret, fertur totam noctem in sacris precibus egisse: Postero die congressus: Eugenij exercitum cecidit, atq; fugauit: militante illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis: vt poeta quidam cecinit eleganter: nam dum confererent manus, ingentes a partibus Theodosij flauere venti: qui Theodosianorum militum tela in hostes vehementius ferebãt: & quæ iaculabantur hostes in eorum corpora retorquebant: res tam euidenti acta miraculo, vt omnes victoriam illam pijs Theodosij precibus partam faterentur: Hostes igitur suos absumpsit orãdo Theodosius. Sic & olim penes Christi plebem Sacerdotes deuorare hominum peccata dicebantur, quod ea precibus suis consumerent atq; delerent: Hinc facile plures in Sacerdotum ordinem venire patiebantur: & si quis prohiberet, vel dehortaretur, indignatio erat & pœna: quia quo plures erant, eo magis illorum ore peccata absumi, & comedi credebatur. Perspicuum est autem, si orationibus exhauriuntur peccata non solum propria sed aliena quoq;: prohiberi etiam mortem, quæ de illis insurgit: siue ad præsens pertineat ea mors seculum, siue ad futurum. Et mortem quidem, quam hoc seculo experimur, orationibus auerti, indicat nobis eadem lectio veteris testamenti. Nam cum grauiter Hebræus populus eadẽ in solitudine agens peccasset, orto murmure ob itineris & laboris prolixi tædium; immisit iratus Deus igneos serpentes; de quorum afflatu & morsu quum interitus sequeretur, territa multitudo clamat ad Mosem: Ille ad Dominum, & Dominus Mosis prece commotus, æneum erigi iubet serpentem: cuius aspectu afflati & percussi sanentur: sic repressa mors & inuenta salus orationis beneficio. Sed & tunc veluti in ænigmate admoniti. Si velimus afflatus & morsus vitare eius qui serpens est callidissimus: & in serpente primum hominum decepit: in hunc alterum æneum nouæ legis serpentem e ligno pendentem spectemus: orãdo scilicet, vt auxilietur. Nam quum in calamitatis metu auxilium potentioris alicuius postulamus, nos in ipsum spectare dicimus. Quin etiam tacẽte sæpius ore iniectus in alterum aspectus, affectũ indicat mentis, & validius omni voce opem poscit. Ezechias Hierosolymæ Rex ægrotabat;

huic Propheta in lectulo iacenti, Domini voce denuntiat impendentem mortem: cōuersus ille ad preces & lachrymas, obtinet mortis fugam: adijciente sibi Domino ad priora vitæ spacia annos quindecim: signumq; eius rei accipit retrocessionem Solis decem lineis: vt ostenderetur propagationem illam vitæ mirabiliter fieri, quæ in præsens miraculo alio firmabatur: nec leuē esse orationis vim, quæ geminata miracula proferret. Sed & castitas, & abstinentia alieni, & in aduersis constantia, & in secundis facilitas, & magnorum mysteriorum reuelatio, plura deniq; alia virtutum dona, profluunt orationis vehiculo a' Deo: Is enim vnicus a' quo petamus; & qui solus dare potest: cui autem ea dederit, si oranti negauerit & amanti? Nemo vnquam sapiens vir fuit, qui non precibus, supplicibusq; votis dixerit agendum cum Deo, qui cuncta circum se videt pendentia: a quo quicquid verum est, pulchrum, vtile, bonum, proficiscitur. Ipsi certe' Platonici qui summi inter Philosophos fuere, hoc sæpius monuerunt: Adorandam scilicet Dei prouidentiam: Et in minimis etiam rebus, opem, & auxilium illinc nos petere uoluerunt. Mittō Iamblicum: Proclum: Platonem ipsum: Sed Porphyrium illū acerrimum Christiani nominis hostem si quis audiat hac de re loquentem, intelliget, quam id ille utile, imo necessarium arbitretur. Quid Indorum memorem brachmanas? Persarum magos? Aegyptiorū Sacerdotes? Nonne hi omnes, qui non minus apud suas nationes pollebant sapientiæ nomine, quàm in Græcia Philosophi, supplicationibus plurimum tribuebant? & nihil fere' agebant, nisi oratione præmissa? Veteres oratores apud Romanos, quum in foro causas dicerent, a' Ioue optimo maximo exordium capiebant: quē morem uetustissimus poëtarum Homerus tenuit: & qui deinceps poëtarum inter Græcos & latinos fuere præcipui. Hæc quum Christiani uideamus exempla, non ne pudebit supplicationibus, precibus, uotis, hymnis non insistere? scilicet maiore studio ad Deorum suorum patrocinium confugerint olim gentes, eosq; coluerint religiosius, quam nos quibus ueri Dei cognitio tradita fuit? Auertat hanc Deus a' nobis amentiam: demus operam quantum in nobis sit, ne quid tale patiamur. Duplex autem est Orationis genus, quo ascendimus ad Deum: Vnum quod uoce, alterum quod mente profertur: & priore quidem utimur fere' omnes; posteriore Religiosi tantu'm uiri: qui cupiunt silentio suas animas Deo coniungere, ad quem præcipue' festinant: nec abijciunt tamen illi uocalem

Orationis virtutes.

orationem: sed eam habẽt, vt famulam istius & ministram: ita enim illi vocis sono orant, non vt illic maneant, sed vt in cursu verborum illorum & sententiarum calefacta mens, hinc rapiatur ad Deum, & per se se sola delicijs illis pascatur. Sed de priori oratione, quæ voce conficitur, & magis est in vsu, prius dicemus: De hac posteriore posterius. Principio illud assero: quod & si nuper distinxerim Orationem vocalem, ab ea, quæ mente concipitur: attamen hæc vocalis quoque mentis indiget: Sed vocalem hanc voco, quia à voce sedem sumit & originem: alteram autem mentalem (vtendum est enim nouo vocabulo rei explicandæ gratia) quia illius, mens sola dominatur; dimisso omni humanæ vocis consortio. Ergo in nullo orationis genere excluditur mens: sed alterum sola possidet: alterius idest eius, quæ voce profunditur, fit particeps. Quis enim ferat istos, à sensu eorum quæ enunciantur, procul positos? strepentia labia, mutum cor Deo deferentes? Quis sic, extorquere volens aliquid, principem mortalem precatur, vt non adsit animo, quum loquatur? Iure ostenderit se Deus surdum tunc fuisse: Quid enim mirum (inquiet) si non audiui preces, quas nec ille qui fuderat, audiebat? Itaq; qui tota effundunt quotidie psalteria: properantes, nec attendentes, quid dicatur: laborant illi quidem, sed non orant. Nostra autẽ oratio sit feruidior, & ob eam rem breuior. Nec ob breuitatem istam fuerit deterior: quoniam non numerum verborum inspicit Deus, sed quo pondere ferantur: idest quod eis, & quantũ ab animo iniectum sit pondus: numerum autem verborum meritò contemnit ille, qui vnico verbo cuncta creauit. Et possumus nihilominus orationum nostrarum breuitatem rependere earundem crebritate, & densitate, Aegyptiorum monachorum instituto. Illi nanq; animaduertentes humanam mentem non posse vno statu diutius consistere: breues orationes, sed crebras, sed ardentes, & tanquam igneas sagittas iaculabantur: celebrabatur id ab eis prouerbij vice: Breui oratione cœlum penetrari. Quid? quod in paruo etiam orandi tractu sæpius mens imprudentibus effluit, & ad diuersa dilabitur? nec enim intra regionem certam humano potest arbitrio cõtineri: Sufficit ne id accidat omni conatu prohibere: nam neque rectæ mentis studium aliud dixerim, quàm rectam mentem: nec bene orandi ardorem aliud putauero, quàm bonam orationem. Pleriq; autem illam adhibent similitudinem: Quemadmodum enim (inquiunt) telum lacerto excussum aduolat, petens signum, nec tamen lacertus

sequitur;

Oratio sit breuis, sed crebra

ſequitur: ſic oratio ad Dei penetrat aures primo mentis ardore depulſa: quamuis fugiens a mente deferatur. Sed habet hæc ſimilitudo, mea ſententia, diſſimile quiddam; quia emiſſo telo, nihil inter eſt, ſi lacertus, qui prius fuerat intentus ſtudioſè remittatur. In oratione verò, vel dum in curſu eſt, mētem intentam ſeruare oportet quamdiu poteſt: vitioſum enim fuerit ſponte remittere, & ad alia deducere. Nec verò ſi viſum fuerit Dauidicos pſalmos, aut hymnos alios, & cantica, bis vel ter in die, aut ſepties perſonare, multaq; illic infuerint, quæ intelligentiam noſtram effugiant, iccirco terreamur: Nam ſi poſſunt homines magicam profeſſi, rudi quodam & barbaro verborū ſono, quorum ſenſum intelligit nemo, allicere ad ſe malorum Demonū obſequia: quanto credibilius eſt, verba ſacratiſſimorum myſteriorū proficere ad ſalutem, etiam a nobis non intellecta? quum nō effugiant Angelorum intelligentiam: qui pijs viris orantibus aſſiſtere, eorumq; preces ad Dominū deferre ſolent? Videmus quotidie in eccleſiis clericorum et monachorum choros, reſonantes in diuinas laudes: adhibito etiam muſico cantu. Hanc autem conſuetudinem concinendi, ab iudaico templo in eccleſiam translatum eſſe ſcimus: & verè fatendum; animum noſtrum harmonico cantu vehementer excitari: quaſi quædam ſit illi cum harmonia familiaritas atq; cognatio. Quamobrem non improbo quorundam morem, ſed probo potius, qui priuatim ſacras perſonant literas, modico vocis fluxu: medium quiddam inter pronuntiantem et canentem: quo infirmior eorum animus diuinæ pietatis affectu validius feriatur. Poſtquam autem de eccleſiis illata eſt mentio, in quibus ſacra fiunt, & publica pro populo a Sacerdotibus adhibetur oratio: ſunt qui aptiſſimum hunc locum orationi etiam priuatæ putēt: Illud afferentes. Domus mea domus orationis vocabitur. Saluator autem in Euangelio, iubet nos orare intra cubiculum, oſtio clauſo: & Pater cœleſtis, qui videt in abſcondito reddet tibi. Admonet enim Dominus, vt iactantiam fugiamus: nec de pio opere inanes rumores aucupemur. Ego vbique locorum orationes haberi poſſe arbitror, ſi quis id apte facere ſciat: nam vel Dominum ipſum in cruce inter fœdiſſima tormenta oraſſe video: Et oraſſe quoque ſanctos viros accipio non ſub tugurio ſolùm, ſed et in via: nec in terra tantum, ſed in medio quoq; mari; ſicut res, & pericula ferebant, & occaſio ſuadebat. Non deeſt exemplorum copia ex ſacris literis petita. Paulus in carcere: Ezechias in lectulo; Hieremias in cœno, & lacu; Et in la-

cu interq; feras Daniel; & in ipso ceti ventre Ionas Deum deprecati sunt: & circunstantia soluerunt mala; diuinumq; promeruere fauorem Monachos quoque veteres, qui labore manuum victum sibi parabant, meditationibus rerum diuinarum insistere, & psallere solitos accepimus, quum interim ab opere manus non cessaret. Itaque licet forum petenti, & deambulanti, & in officina sedenti, & in balneo se distringenti, tacitas fundere preces, & cum Deo colloqui: nec templo hac in re egemus: aut si templum quaeritur, templum est illi nostro in pectore; & in corde altare: neque hoc gratior alter, aut acceptior locus. Vbique igitur orare possumus: cui sententiae suffragatur Apostolus Paulus scribens Thimotheo, dum ait. Volo viros orare in omni loco sustollentes puras manus sine ira, & disceptatione; similiter & mulieres. Facilis igitur loci electio, viro omnino non stulto: Itaque permittenda vniuscuiusque arbitrio est; Nullus enim locus Dei praesentia vacat. Idem dico de tempore: omnis hora ad eam rem vacua est Deo: qui non mole rerum gerendarum laborat, sed laborantibus opitulatur: qui dormire non nouit, sed dormientes nos excitat, vt oremus: Vigilate (inquit) & orate ne intretis in tẽtationem. Et alio loco penes Marcum. Videte, vigilate, et orate. Sic inuitans ad petendum, ostendit se liberalem erga petitiones nostras futurum: et q; illi vehementer displicebit, si nihil a nobis petatur: nihil tãto studio Dominus quàm orationes praecepit. Iuuat huc inserere quosdam alios eius sermones hac de re: nam apud Mat thaeum cap. vi. cum exemisset discipulis omnẽ prius solicitudinem de vestitu, de victu, de fama, de incolumitate, de vita: docet haec omnia magna fiducia postulanda à Patre. Petite (inquit) & dabitur vobis: quaerite, & inuenietis: pulsate, et aperietur: omnis enim qui petit, accipit, & qui quaerit inuenit, et pulsanti aperietur: hoc est dicere: sedentibus, cunctantibus, quiescentibus, demum nihil agentibus nihil acquiri. Et ne dubitarent, si peterent, quin impetrarent, adhibet similitudinẽ ductam a vulgari patrum in filios affectu: quorum nullus est tam ferreus, vt, si filius postulet panem, porrigat illi petram, aut si postulat piscem, tradat illi serpentem. Si vos (inquit) quum mali sitis, nostis dare bona filijs vestris, quanto magis Pater coelestis dabit bona petentibus se? Potestne magis vrgere nos ad orandum quàm tali vtens similitudine? Hoc discutere potest omnem cunctationem; quòd non ad alium, quàm ad Patrem preces adhibentur. At quem Patrẽ? qui solus ipsa est bonitas; Nemo enim bonus, nisi

Deus. Idem Saluator eodē loco docens quemadmodum orandum esset, voluit ante omnem petitionem nos dicere. Pater noster, qui es in cœlis. Cur? nisi vt impelleret ad petendum sub commemoratione Paterni nominis. Si enim hoc tam magnum dedit, vt Pater esset, quid ille petētibus negabit? Repetit hæc eadem apud eundē Euangelistam cap. xviij. Iterum dico vobis quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, fiet illis a' Patre meo, qui in cœlis est. Rursus penes Marcum cap. i. hoc infigere conatur altius implorans fidē nostrā: Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quòd accipietis; & euenient vobis. Iam imminente crucis tempore quum se ex discipulorum oculis erepturus esset, consolatur illos orationis fructu, & præmio: ostendens, si orarent omnia assequerentur, non si negligerent seipsos. Quicquid (inquit) petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciā; vt glorificetur Pater in filio. Iterum inculcat, ne posset elabi. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Ac mox. Quicquid petieritis a' Patre det vobis. Sed iā expostulat cum illis quod nihil petijssent: asserens, & veluti iureiurando se astringēs non frustra petituros. Amen amē dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; hactenus nō petistis quicquā in nomine meo: petite & accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum. Nū hæc dicta tantum putamus a' Domino Apostolis? ac non omnibus, qui Christi nomen profitentur? Quid? denuncians publicam calamitatem quo' nos confugere iubet? nonne ad orationem? Orate inquit ne fuga vestra fiat hyeme, vel sabbato. Nonne etiam penes Marcum vigesimo primo capite illa loquitur? Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis; & nihil impossibile erit vobis. Maius etiam illud; quòd non captata occasione rogari vult, sed importune quoque & tædiose; excitans nos duobus exemplis. Primum Iudicis illius improbi: quem assidua, & importuna viduæ deprecatio adegit pene inuitum, vt de nece filij vltionē contra sicarium sumeret. Deinde illius frigidi amici; quem improbitas clamantis egeni, & ostium pulsantis, subegit intēpestæ noctis curriculo surgere de cubili, & petitos panes dare. Admonens his Saluator, quid possit petitionis instantia, iubet nos eodē exemplo secum agere: quasi si omnia desint ad impetrandum, importunitatē tamen petentium nolit ferre, perinde ac si tædio victus esset. Quis est autem, qui si nihil afferat ad impetrandum aliud, non possit saltem petere- Instantia orationis.

quicquid petit sæpe, ac sæpius, atq; importuno clamore? Tantùm autem abest, vt fastidiat orationes nostras, quamuis crebras; vt gratissimum sit, si continuæ fuerint, & ab eis nunquam cesseretur: Quin hoc ipsum fieri vult: atq; adeo vult, vt necessarium esse dicat: dixit enim. Oportet semper orare. Demum tota res sic eum delectat, vt sacratissimo etiam, & beatissimo illo ore formam orandi discipulis præscripserit. At non solũ verbo nos Dominus, sed exẽplo quoq; suo hortatus est ad orationẽ: nam dum in humanis ageret, crebrò fertur orasse: Quin etiam de eo legitur, ꝙ erat pernoctãs in oratione. Nunc autem in cœlestibus sedens tanta illa in maiestate, ad Patris dexteram: ne intermittit quidẽ hoc orandi munus: Sed quẽadmodum scriptum ab Apostolo, eũdem interpellatorem pro nobis aduocatumq; habemus. Illud in eo præcipuum: quòd Idem est, qui orat, & qui exaudit: Orans vt homo, exaudiens vt Deus: Et quòd Christum etiam nunc decet, quem non deceat? Nemo nos ad orationem tanto studio verbis suis inuitauit. Nemo validiori exemplo prouocauit. Pauci sunt, qui inuitent vt ab eis petatur. Contra diffugiunt multi, ne ab eis petatur: vel si petitur, diffugiunt petita: veluti Antigonus Macedoniæ Rex, quũ ab eo petiuisset Trasillus Cynicus Talentum, plus inquit id est quàm vt oporteat Cynicum accipere: quũ ille subiecisset, da igitur drachmam; at minus id est (inquit) quàm vt Regem dare deceat: Sic iste (vt ait Seneca) turpem viã ad se excusandum inuenit: quum potuisset alterutro vti: vel dare drachmam tanquam Cynico. vel talentum tanquam Rex. Deus aũt non se excusat: quinimmo excitat vt petamus: vix aliud inuenietur, ad quod tanta cura studioq; sacrarum literarũ voce hortetur: nec tantum hortaretur, nisi dare, & de thesauris suis effundere dona paratissimus esset. Pudeat negligentiæ: atque adeo pigeat, si plus appetit ille misereri, quàm nos a miseria liberari. Non vtetur autem Dominus Sophismate Antigoni: Sed si minima ab eo petamus, dabit vt hominibus: sin maxima, vt omnipotens: Minima autem voco æs, & argentum, & aurum quoque: Addo etiam gemmas; quin & imperia vrbium, et populorum; demum temporalia omnia commoda: hæc minima pariter voco, & vt minima in suis hæc habet Deus. At pro maximis, quæ dilargiatur, habet Castitatem; Fidem; Pietatem; Humilitatem; Caritatem, & reliquas animi dotes, quibus æterna vita cõparatur. Itaq; si petitionis nostræ vlla nobis est cura, petamus censeo hæc maiora: quoniam dare ille potest, dare etiam

gaudet: quo clarius eius munificētia liberalitasq; resplendeat: Non enim reijciemur magnitudine petitionis; sicut nec reiectus est Anaxarchus Philosophus ab Alexandro magno: cui quum procuratorem fisci iussisset dare pecuniam quantū posceret, & subiecisset Procurator, illum petere talenta centum. Bene (inquit) facit: quoniā nouit se amicum nactum, qui & hæc, & his maiora dare possit, & velit. Idem Alexander magnificentia donandi elatus, Perillo cuidā amicorum roganti, vt se in collatione filiarum adiuuaret, iussit talenta quinquaginta dari; & quum diceret ille decem esse satis, tibi inquit accepisse satis, mihi dedisse parum. Illud egregiū Marci Antonij (de eo loquor, qui socius Cæsari, & Lepido in triūuiratu fuit) Is quum nondum tantas opes, & copias haberet, sed tum primùm magistratus peteret; iussit procuratorem suum dare amico cuidam decies sestertium: commotus doni magnitudine procurator, attulit in conspectu eius pecuniam illam, vt videret quantùm donaret: tum animaduersa hominis iniquitate Antonius, Existimabā (inquit) quòd ampliorem locum caperet decies sestertium: Hoc parum est. Itaque vade & fac, vt tantundem superaddas. Si talia peragunt homines; num restrictiorem his putamus Deum? Nonne Deus, quum visus esset in somnijs Salomoni, qui tum primùm regnare cæperat, iussissetq;, vt peteret, quid sibi velit dari, ille autem petisset sapientiam, qua æquum rectumq; discerneret, & iustè populum iudicare posset: delectatus hac eius petitione Deus dixit se dare, quod petisset: ita vt supra omnes, sapientiæ magnitudine præstaret: & gloriam præterea nominis, & ingentes diuitias, quæ non petisset? Hic forsitan insurgat aliquis vestrum hæc audiens; & torua respiciens fronte afferat, non recte dictum Deum quæcunque petita concedere: & nominare paratus erit plures ex amicis, & propinquis, vel vicinis suis, quos ipse nouit cum infinitis precationibus accessisse ad Deū, vt ab eo, vel vitam filij, vel nuptias prædiuitis vxoris, vel victoriā contra hostes, vel aliud quid simile auferrent, & eos inanes reuertisse, & plerosq; contraria ēt retulisse. Itaq; non tantū orationibus confidendū; sicuti nuper dicebatur. Huic & alijs qui idem sentiunt, respondendū prius videtur, & nihil occultadum: sed dicendū id quod veritas fert, & quod ante me sancti Patres dicere aggressi sunt: Quòd si altius exordiri videor, peto ne molestè feratis: non enim longior futurus est sermo. Omnes Deum mortalibus larga manu dona diffundere arbitramur: plura contulit antequam

rogaretur: & maiora, quàm quæ aut perſpicaci inĕgnio excogitare aut audaci animo efflagitare potuiſſemus. Diximus ne vnquã Deo, ne nos bruta animantia, ſed homines effingeret? ſimulacraq; mentis ſuæ nobis induceret? certe non diximus. Ille ſponte quales ſumus creauit: ſed & dominatum in beluas, imperium & regimen elementorum, ſupinum vultum, fabulatricem linguam vnde habemus? Nempe à Deo: quem de ornando homine appellauit nemo: hæc omnia diuina bonitate ſe ipſam impellente effloruerunt. Adde eodem, tot ſtudia doctrinarum, tot fabrilia opera, tot ingenioſas artes, tot præſidia rerum ſalutarium, vtilium, iucundarum, quæ ſummus idem inſtituit Parens nullo rogatu noſtro: niſi fortaſſe exiſtimamus (vt exempli cauſa vnum aliquid ponam) eum qui primus ſerram inuenit, exoraſſe Deum, vt ſibi ſerræ inueniendæ oſtenderet rationem: quum omnino quid ſerra eſſet neſciret: ac non ipſum potius diuinitus excitatum animaduerſione ſpinæ in piſcibus, vt ſibi laminam ferream vtrinq; exaſperandam, et dentium mordacitate acuendam putaret. Sed quid de inſigni illa amōris prærogatiua loquar? Deus humanam verè induitur faciem, & carnem: erudit, docet, admonet: Itur in Euangelij prædicationem, vitæ æternæ ſponſionem: Ara crucis erigitur: cui impoſitus, torrente cruoris effuſo cœli adita mortalibus reſerauit. Scilicet vt hæc agerētur, hominum aliquis Dei aures obtudit, ac non percita diuinæ caritatis flamma, per infima & humilia, per dura & aſpera quælibet, vi ſua, ſtabili gradu cucurrit? Nonnulli aurum & argentum, veſtem & ſupellectilem, prædia, villas, quin etiam imperia, & regna amicis donauerunt. At (vt inquit Saluator in Euangelio) maiorē caritatem nemo habet, quàm vt ponat quis animam pro amicis ſuis. Hoc quod ſummæ & flagrantiſſimæ caritatis eſt indicium, penes Deum fuiſſe reperiemus: qui aſſum pro homine, victimam ſe pro nobis exhibuit ſalutarem: nec auro & argento, ſed pretio ſanguinis ſui tam pretioſo redemit: idq; tantum donum: vt eius magnitudinem nemo animo capere, nemo æſtimare poſſit: ideo nec petitum aut optatum, ſed ſponte oblatum. At quale illud cœleſtis triumphi pignus; quòd ſe menſæ noſtræ Deus adiunxit? nec ſe conuiuam exhibet, ſed ſe ipſum epulandum propinat? quiſquam ne id hominum poſtulauit, quod fieri naturæ ratio auerſatur? Ergo quum tanta contulerit inrogatus, quid faciet rogatus? præſertim, quum, (vt mox dicam) ſuadeat, moneat, vrgeat, denique iubeat, vt petamus, ſi quid præterea velimus. Credo ſi fas

esset, vt mortalem rogaret Deus, rogaturum quoque fuisse, vt nos eum dona rogaremus: submisit tamen virum magnæ scientiæ et au ctoritatis, qui nos hoc ipsum rogaret. Quis iste? Doctor gentium: Apostolorum Princeps Paulus: qui secunda ad Timotheum epistola. Deprecor inquit omnium fieri obsecrationes, orationes, postu lationes, gratiarum actiones. Magna cupiditate tenetur Deus obse quendi votis nostris: qui nos excitat ad petendum: & rogari nos ea de re a Principibus cœlestis aulæ facit: & qui etiam tanta contulit an tea non rogatus: Incitata enim semel liberalitas (vt quidam dixit) sta re nescit. Huius autem perpetuum est munus, liberalitatem exercere. Hic vnus vere liberalis dici potest: qui non respiciēs ad vtilitates suas, quas nullas à quoquam suscipit, omnia omnibus elargitur. Itaque cum magna fiducia accedendum est. Nunquam benignus ille Pater renuet castas & iusto officio incensas cultoris sui preces. Veruntamen vt legitimas preces semper à Deo exaudiri contende rim: sic non semper dixerim impleri eo quo postulatur modo. Nam vbi ardenti & inflammata oratione petimus ea quæ ad Dei gloriam & animarum pertinent salutē, veluti Fidem, Caritatem, Castitatem, Sacræ scripturæ intelligentiam; quarum rerum, vt oportet primam esse curam, ita præcipuam decet esse mentionem in precibus: haud vnquam fallimur, quin optata tangamus: quoniam nulla maior causa petendi, nec iustior tribuendi, quàm ea, quibus constat Dei gloria: & vera animis salus paratur. Quod si diuitias, opes, famam, valetudinem, & eiusdem generis res vnà cum temporibus fluentes rogamus, meminisse oportebit hæc luxus & potentiæ instrumenta, a multis male tractari; & ab his magnam hominum manum in vitia præcipites iuisse. Hoc efficit ne preces nostræ sæpius audiantur; quia non expedit id accipere, quo accepto vel petens affligeretur durius, vel prosperitate rerum corruptus, penitus euerteretur. Talibus enim bonis non fiunt homines boni; sed aliunde boni facti, faciunt ipsi deinceps bene vtendo, vt ista sint bona. Nunc videre quempiam, qui rectè vtatur, magnum est; sed non magnum videre eos, qui abutuntur; quoniam passim occurrunt. Itaque quoniam muneribus his abuteremur, contraria sæpissime irrogat petitionibus, futurorum præscius Deus: pro diuitijs paupertatem, pro opibus inopiam, pro fama infamiam, pro secunda valetudine, aduersam: nec tunc cassas & irritas admittit preces nostras, imo explet. Nos illa petebamus, vt profutura; ille quod magis proficere vidit id

dilargitur: ducens causam petendi ipsa petitione grauiorem. Non tribuit quæcunque rogata Deus; ne medicus quidem ægroto: quæcunque præsens eius cupiditas suggessit petenda. Ille instaurandæ vacat totus valetudini: hoc enim caput est artis, & affectuum eius, qui se illi sanandum credidit. Deprauata voluntas, si qua intercurrit, ne vt voluntas quidem habenda est. Apostolus Paulus carnis stimulum & Angeli Satanæ colaphos auferri sibi cupiebat: quamobrem ter hoc nomine rogat Dominum, neque impetrat: & quem audiet Deus si hunc negligeret? Hic est.n.ille, q nihil minus gessit a magnis Apostolis: qui Christi minister fuit plusquã cæteri. In laboribus plurimis, in carceribus abundãtius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Ergo hunc Deus negligeret pro se aliquid petentẽ? Sed non neglexit, nam contra eius causam postularat, vt medicamẽtum auferret: mordax illud quidem, sed medicamentum tamen. Relicta illa aspera et molesta Apostolo: ne ob magnitudinem reuelationum extolleretur: sed de his humanam agnosceret imbecillitatem. Existimari potest monitorem ei datum, quemadmodum olim Imperatoribus Romanis: quibus in triumpho instabat a tergo seruus eodem curru vectus; qui monebat, vt se homines meminissent: Sed ille verbis, Apostolus autem carnis stimulo & Satanæ colaphis monebatur: quid autem hoc rei esset, non aperit ipse: grauissimum capitis dolorem perpessum fuisse Hieronymus, Augustinus, & alij nonnulli perhibent. Hic datus ne extolleretur, et eadem de causa non ablatus. Sic Apostolo Deus non parcendo quodammodo pepercit, non miserando magis etiam est miseratus. Tanta & tam propria est Deo benignitas, vt ea etiã in qualibet seueritate appareat. Inepte igitur orarat Paulus. Quid ni? neque id indignabitur ipse de se dici: nam & hæc eius est sententia: Quid oremus, secundum quod oportet nescimus. Nescit mortalis homo quid illi magis vtile. Hoc non vidimus Christiani soli; Sed & hi, qui inter gentes olim habiti sunt sapientes: quorum primus Socrates a dijs bona tantũ petenda censebat: quæ & qualia & quanta ne dicendum quidem, sed illis permittendum: qui sicut ex facili dare, ita ex magna bonorum copia recte deligere possunt, quæ vnicuique apta forẽt. Alius Philosophus (Pythagoram fuisse perhibent) quum salutatus fuisset ab amico, & vt fit in tali cõgressu, dixisset ille. Dij tibi dent quæcunque vis; Melius ominare, inquit. Ego enim malo, quæ illi dant: Multa enim optans, quum ea consequutus non fuissem, intellexi postmodũ ex euentu illa mihi

recte

recte non obtigisse. Rursus secundum animi mei propositum quædam consequutus, non multo post conquestus sum de fortuna, & acerbe tuli votum meum valuisse.

Sunt etiam nonnulli, qui olim in Delphico templo putent inscriptum fuisse, Nosce teipsum: quasi nisi talis sui ipsius cognitio præcurreret, ingredientes ad Deum, temere vota emissuri viderentur. Ille etiam poëta Græcus ostendit se sanā habuisse mētem: qui quum videret homines contra se plerunque petere, miseratus horum affectum, pro his propriā fundit precē, quasi corrigere studeat lapsum: idq; duobus versiculis quos quidam ita latinos fecit.

„ Da bona siue petat quisquam seu non petat: at non
„ Quæ rogitant mala, summe Deus concesseris vlli.

Midas dicente ad illum Deorum quodam peteret quicquid vellet, id habiturum: petijt (vt est in fabulis) quicquid contingeret corpore, in aurum verteretur: Existimabat se magnum bonum postulasse; nec prouidebat quanta in eo esset pernicies: quod vbi demum sensit habito munere, petijt pro summo beneficio ab eodem Deo, vt beneficium suum auferret, quia eo lædebatur: & hic quidem facilitate Dei suum reuocantis munus illæsus euasit: sicut placuit fabulæ autoribus. Sed quot, & quales viros aurū interemit? Lege Cæsarum acta: Illic inuenies multos, quibus aurum peperit inuidiam: Inuidia crimen: Crimen accusationem: Accusatio damnationem: Damnatio mortem. His eos gradibus aurum deduxit ad interitum: plerosq; festinantius præcipitauit: quos immissus a Cæsare miles gladio statim confecit: & tamen inter humana bona non aliud vehementius appetitur. Vt autē id facile intelligatur, referam quod olim in Thraciæ parte quadam fertur contigisse. Erat ager absconditum continens thesaurum: hoc Dominus ignorans vendidit. Emptor dum arboribus agrum consereret, in hunc incidit; re inopinata perculsus, conuenit vēditorem: rem indicat: petit, vt quamprimum thesaurum auferat: asserens se agrum emisse non thesaurū. Repugnare vēditor, & dicere se locum vendidisse: nec in eo iuris aliquid retinuisse. Ita quicquid ibidem esset id ad emptorem pertinere. Orta contentione, quum vnus daret thesaurum, alter non reciperet, itum est ad arbitrum; qui cognosceret vter duorum auferre thesaurum deberet: Is vtrisq; auditis nullam protulit sententiā: Sed controuersiā soluere dixit, qm̄ se thesauri faceret possessorē: & hoc illi facile concesserunt. Non multo post percrebuit rumor inuentum thesaurum, deinde

C

palam factum quis eum,& vbi haberet. Tum nonnulli iniqui conspiratione facta,domum in qua thesaurus fuerat repositus, clanculum effoderunt,& thesaurum abstulerunt:Domino,vxore,liberis, & seruis pluribus interfectis. Quum postmodum raptores se in solitudinem, & syluas quasdam recipissent, dum certant inter se de prædæ diuisione,manus conseruere; magnaq; pars ipsorum occubuit.Superstites ablato thesauro lōgum iter ingressi,varias insidias, & pericula perpessi:demum quum in regionem Persarum peruenissent,illic re intellecta Regis iussu ad vnum omnes necati; auroq; & vita spoliati. Sic thesaurus ille innumera peperit mala: ex quo cognitum est illos duos primos plurimum vidisse, qui ab eo discesserant,altercantes primo inter se non quis eum recipere, sed quis non recipere deberet:deinde illum arbitro relinquentes. Vix verba mea fidem facient inuentos esse homines, qui spernerent thesaurum: at nos quod traditum est à maioribus, narramus. Scio huius inuentionem in votis esse omnium; quum tamen ignorent quid inde sit euenturum. Hi verò de quibus dixi, dum thesaurum spernunt inuentum,se omni thesauro pretiosiores reddiderunt. Longo sanè carmine cunctis notissimo Satyricus Poëta demonstrat plurima mortalium vota properauisse ad infœlicitatē, colligens multorum exempla; quorum alij quum ingentes diuitias habuissent prout optauerant,alij summos honores,alij magna imperia,alij validum eloquentiæ robur,alij egregiam corporis venustatem, alij longam ætatem, hæc vnicuique eorum bona, & ipsis, & alijs multorum malorum causa fuere,demum exitio extitere,tandem illud concludit.

,, Orandum est,vt sit mens sana,in corpore sano.

Hoc admitto,quod dicit de mente sana:nam quod dicit de corpore sano,in eodem est genere,quo reliqua temporalia:quia etiam lædere hoc potest,si quis malè vtatur. Sæpius expedit ægrotare,quam rectè valere: Sicut & sæpius mori expedit, quàm viuere. Illa eiusdem meliora.

,, Fortem posce animum mortis terrore vacantem,
,, Naturæ qui ferre queat quoscunque labores:
,, Nesciat irasci,cupiat nihil.

Et reliqua quæ sequuntur. Sed illud ad Christianum magis pertinet (vt idem sæpius inculcem) vt petat fidem sibi dari, vel augeri: deinde dilectionē Dei,& proximi: de qua pendent leges et Prophetæ.Postremo per partes, omnia quæ ad animarum conferunt salu-

tem, veluti Iustitiam, Pietatem, Liberalitatem, Continentiam, & reliqua generis eiusdem. Quid si clamet sæpius cum propheta? Cor mundum crea in me Deus? nonne iste arcem petitionum omnium ascendisse videtur: petens id, ad quod vt supremum finem, omnis nostra fertur cogitatio? Quod nam hoc? vt Deum videat; quo nihil maius cuiquam daturus est ille, siue viam ambulet mortalis huius vitæ: siue iam in cœlesti patria conquiescat. Dixit enim, Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Stulti si corporeis oculis quærimus Deum videre, qui solo corde conspicitur: quod nisi ab omni fece, & inquinamento mundauerimus, nunquam claritatem illam, & maiestatē videbimus. Sed quid opus est per hæc ire? quum ipse Dominus, vt auferret dubitationem omnem, formauerit orationem, secundum quam nobis petendum sit. Non igitur petenda alia præcipuo affectu, nisi quæ illic expressa sunt; aut ad aliquam eorum partem spectant. Continet autem ea oratio petitiones septem: quarum quæ præcedunt, continent amplificationem diuinæ gloriæ: quæ vero subsequuntur, pertinent ad subleuationem miseriarum nostrarum. Ergo Prima, petitur sanctificatio diuini nominis: Secunda, propagatio Euangelij, & Regni cœlestis. Tertia, obseruatio diuinæ voluntatis. Reliquis quatuor petitur panis: dimissio peccatorum: præsidium aduersus tentationes, & liberatio à malo. Nulla hic certè diuitiarum petitio; nulla memoria dignitatum; nulla potentiæ postulatio: nulla corporeæ salutis, nulla temporalis vitæ mentio: Panis tantummodo postulatur, quia is necessarius est viuentibus: & vt intelligant etiam Diuites, & potentes, nihil esse eorum proprium; Sed omnia esse Dei, à quo vel ipsum panem, mendicantium more petere coguntur; nisi forsitan ita tumeant, vt putent orationem dominicam ad se non pertinere, & ea non vtuntur. Sed nescio quomodo hæc caduca, & temporalia bona, quæ ne nominat quidē Dominica oratio; nos præpostere, vt prima in petitionibus nostris, & votis habemus. Ecce ingredimur templum; supplices omnibus procumbimus aris, vxores, liberos, villas pecuniam, victoriam, valetudinem, honores, imperium, & huiusmodi res flagitamus. Næ ex magna quidē bonorum copia minima delegimus, quæ peteremus. Videndum erat diligenter antea, quod esset petendum: nam ab eo petamus, cui elementa cuncta famulantur, qui quicquid est rerum, pugillo clausum continet: qui denique est omnipotens. Magnum ergo aliquid erat petendum; Nam hæc quæ pe-

Summa orationis Dnicæ.

tuntur adeo friuola sunt, vt digna sint, quæ malis etiam concedantur. Veruntamen si inter hæc Christus præbeat se videndum, & assistens nobis quemadmodum olim duobus fratribus honores seculares a se petentibus dixit. Nescitis quid petatis, sic nunc dicat. Erras, o homo, petens hæc tibi nocitura: nonne coget nos longa in oratione obmutescere? Sed grauiore obiurgatione vteretur si diceret. Non audio hæc petentes. Vos ad æternum venistis Deum, vt humana hæc auferatis, quum ipse immortalia, & me dignissima munera dare essem vobis paratus. Quid stultius? at quàm inepte, quòd inter sancta altaria, prophana tantum quæritis? & quàm impie, quod in domo mea quiduis potius quam me petatis? Ergo nisi cum auro, & argento, & reliqua bonorum temporalium copia venero, Deus vobis nõ ero? Ita ne insuper angustus sum vobis, vt nequeam me ipso cupiditates vestras implere? quòd alia quæritis, quibus impleamini? Noui quòd non me, sed mea diligitis: ideo nec illa habebitis, quæ magis penditis, quàm ipsum me. Hæc si diceret, aliquid ne contra hiscere possemus? Quid & quòd iustissima illa causa est, nihil indulgendi commodorum ad vitam spectantium, dum videt peccati sorde oblitos? Ille num iussit nos tales fieri? minime: sed sanctitatem mentium, & corporum præcepit: non paremus. An igitur æquum est, hominem a Deo audiri; quum Deum homo non audiat? Negligit ille voluntatem nostram. Quid ita? quia & nos illius neglexerimus. Mundandum prius cor ab omni criminis inquinamento, & tum demum adeundum cum precibus: atque ita quum veluti dij quidam Deo colloqueremur, facillimum foret quæcunque legitime petita auferre: nec dico quòd peccatores omnino non audiat Deus; audit enim quandoque. Nam liberalitas eius & pietas, ad malos etiam, & iniquos prouehitur: sed sæpius tamen negligit eorum preces; vel si audit, non audit propitius, sed iratus: nocitura enim peccatores petebant. Hæc vt haberent permisit. De talibus inquit Apostolus, quòd tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & in immunditiam, vt contumelijs afficerent corpora sua in semetipsis. Sic audiuit vota Israelitici populi flagitantis Regem, sed quemadmodum (vt est in fabulis) audijt Iuppiter ranarum preces: pro trabe prius cõcessa petentium Regem alium magis impigrum: & hydrum accepere. Itidem Israelitæ incolentes eremum quum fastidio Man optarent vesci carnibus, maximo orto murmure, atque adeo ingenti fletu profuso obtinuerunt id quidem, sed magno eo-

rum malo. Nam ut scriptum est. Adhuc carnes in dentibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga nimis magna. Sic exauditus Satanas in tentatione sancti uiri Iob; non ut uinceret, sed uinceretur. Sed sceleratior illorum est precatio, qui stimulati liuore sibi ipsis male precantur, ut alteri sit peius; quemadmodum est in eiusdem fabulis de duobus illis mercatoribus; quorum alter inuidebat alteri.

Quibus quum Mercurius socium se itineris præbuisset, tandem deferret, ut quoniam cum Deo commertium habuissent, peteret alter illorum quicquid uellet; alterum, qui non petisset, duplum laturum eius, quod alter optasset; uterq; detrectabat petere. Demum urgente Mercurio, petijt alter, ut sibi unus oculorum decideret, sperans futurum, ut alteri uterque periret. Fabulas rursus loqui uideor. Vtinam fabulæ essent tantùm, & nulla huiusmodi exempla in mortalium uita apparerent. Sed quot reperias, qui inimici mortem sua morte cupiant emptam, qui famam alteri perire cupiant suæ famæ exitio? Sed ne simpliciter quidem petendum a' Deo, vt inimicum percutiat: nam quum ille inimicos diligi mandauerit, & ostendendum sit, nullos nobis esse inimicos; quæ inimici, at quæ vitionis potest esse mentio? quomodo postulare poterimus, vt ignoscat peccatis nostris, si aliena puniri postulamus? Etenim dictum est a' Domino non dimitti nobis delicta nostra, nisi nos pariter alijs dimiserimus: nos vero' non modo non dimittimus, sed Dominum etiam ne ipse dimittat flagitamus. Videtis quàm absurda imo quàm iniqua hæc sit flagitatio, quæ tamen fit à pluribus. Adeũdum est ad Deum vt reddatur propitius, non vt exacerbetur, quod minimè hi faciunt, qui imprecantur alteri: qui supplicis induentes personam, verba proferunt accusantium. Cõtra aũt pro aduersantibus erat supplicãdum: nam si tunc ẽt nihil pro se dicerent, diuinam ad se misericordiam allexissent: nunc vero' illa agentes ad iram prouocant. Res agitur perinde ac si quispiam metuens clarum, & potentem virum, quem iniuria læserat, supplex ei fiat pro reditu in gratiam: interim inimicum illac videns transeuntem, velit deserta sua supplicatione eum persequi, & trucidare: ac non contentus proprijs viribus, ab eo cui supplicabat, petat magna voce vt se adiuuet; sociumq; ad eam cædem præbeat. Quid hac imagine quæso fœdius, aut turpius excogitari põt? Nonne, qui sic ageret, indignationem, & iram commoueat eius, quẽ pro se antea precibus lenire tentabat? Certè si vir fuerit, aut vllã partem

Comparatio.

habeat sani consilij, excandescet: & hominis oderit mores. Eadē causa est istorum, qui sibi delictisq; suis à Deo suppliciter postulāt ignosci. Deinde verbis præcibusq; suis in inimicos feruntur, atque eos voto perimunt: idq; fieri, & peragi a' supremo omnium Domino requirunt. Vtrum hoc est ad misericordiam sui Deum inflectere? an ad vltionem, quam in alios postulant contra se animare? Num impudentia quicqnam valet ad impetrandum? non opinor. Quod vero' os postulantis a' Domino veniam, quam ipse alij conseruo non concedit? Quid ergo? orandum pro his, qui in nos vel nostra irruerunt? Sic certe': si diuinum sequimur sermonem. At durum id. Minime' vero': nisi durum sit orare pro his qui profuerunt: Nam & si illi non hac mente contra nos insurrexerunt, plurimum tamen conferunt, si ipsorum iniurias leni, & clementi animo excipiamus: quoniam tunc ab hominibus laudes; & a' Domino æterna præmia referemus. Nec vero' quenquam moueat, quod in psalmis leguntur sæpius imprecationes quædam; veluti illud. Fiat mensa eorum in laqueum, & cætera, quæ ibi dicuntur: hæc enim, & talia prænuntiantis Spiritu, non optantis voto exprimuntur. Illud etiam, quod in Apocalypsi legitur, orare Martyres, vt eorum sanguis vindicetur: ita accipiendū est, vt in hominibus extingui velint peccati regnum, sub quo tàm impia pertulerunt. Nam ne Martyres quidem dum hic agerent, & torquerentur, sæuum quicquam, & acerbum, tortoribus suis optauere. Ipse Dominus in cruce pro crucifixoribus suis orauit: & eodē exemplo pro lapidatoribus suis Stephanus; qui primus sanguinem pro Christo fudit. Iacobus Apostolus, is, qui frater Domini est dictus, præceps actus a' Iudæis de pinnaculo templi, inuentus est humi semianimis iacens, pro inimicis suis orare. Paulus quoque anathema fieri cupit pro fratribus eum persequentibus; modo conuerterentur ad Dominum, & salute æterna potirentur. Si quis odisse velit inimicum, odio habeat in eo peccatum: idq; postulet occidi: hominem autem ipsum saluum velit, quem nobis proximum fecit, & naturæ similitudo, & fidei societas, & spes cœlestis hæreditatis simul capiendæ: quæ iniquis quoque proposita est si resipuerint. Hoc agentes imitabimur medicos qui hominem in lectulo iacentem amant: morbum autem, propter quem iacet, tantùm abest, vt ament, vt ipsum durissime' insequantur, interficereq; cupiant, vt homo viuat. At hæc non audiuntur. Videntur nanque sibi homines quasi iuste' optare inimicoum mortem, Moriantur (inquiunt) inimici; Quid ita? quia

Refutatio obiectionis.

iniqui,& peruersi sunt. Non sic agent si me vel diuina potius audierint mandata: quæ non admodum difficilia sunt. Num difficile est vnum mutare verbum eadem remanente? non opinor. Mutent ergo,& non dicant moriantur inimici,sed corrigantur. Hoc si fiat,inimici erunt mortui: iam enim correcti,non erunt inimici. Quicunq; autem dicit,non ignosco inimico meo,nec ignotum volo: cupio vt moriatur: quia malus est homo: si id dicit animi sui dolori indulgēs, hic è bono malus fieri incipit:& ambiguū relinquitur, vtrū è duobus malis Deus prius vlciscatur: nam de malo supplicium vt sumeret postulabatur. Quid de his dicendum,qui nullis inimicitijs, sed prædæ amore adducti aliena cōcupiscunt? Optat miles conductitius direptionē oppidi,quod obsidet: vt spolijs alienis suas augeat opes. Medicus orat morborū prouentum,vt ei q̄stus accedat vberior. Efflagitat alius propinqui mortē, vt ad eius hæreditatem quāprimum perueniat. Mercator huc preces suas dirigit vt merces suas quāplurimi addicat:& vt earum vitia lateant emptorē. Hypocritā,quid aliud in votis, & precibus habere censes? nisi vt eludens, quum sanctus non sit,sanctus tamen hominibus esse videatur? Hæc improba vota si dicerem audire Deum,ipse improbus essem. De his & talibus loquebatur Iacobus Apostolus in epistola. Petitis & non accipitis, eò quòd male petatis,vt in concupiscentijs vestris insumatis. Constat autem,vt ne de hac quidem re monere oporteat, Impia contra Deum,Iniusta contra se ipsum,perniciosa contra proximos,non esse postulanda. De reliquis verò,ea quæ ad diuini nominis gloriam, & animarum pertinent salutem, quæ in virtutibus, & animi dotibus sunt posita; hæc tutò,& audacter petenda sunt. Non enim verendum est ne noceant: & priore loco: quoniam prima etiam sunt bona. Ista autem temporalia commoda, quorum inopia affert molestiam, posterius petenda sunt: quia inferiora sunt bona, & sub exceptione si id ille velit: volet autem si profuturum nouerit petentibus. Nam concessa obesse possent, & infestos exitus habere. Hoc, exemplo Christi (quo quid potest esse sublimius?) faciendum est. Ille enim quum ex natura hominis assumpti rogaret Patrem, vt calix acerbissimæ illius passionis (si fieri poterat) ab eo transiret, subijciebat singulis eius orationibus. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Itaque paulò post,ad illa supplicia processit, quæ humana detrectabat imbecillitas: quia sic disposuerat Pater: quin & ipse, vnde filius est Dei:& unum,& idem cum Patre. Nam etsi de Patre

legimus. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: nihilominus de filio quoque inuenimus. Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris. Et quemadmodum de illo refertur: Qui etiã proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum; ita & de iſto narratur. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Quod ſi Chriſtus id quod ad corporis commodum ſpectare videbatur, ne illa acerba, & moleſta ſenſibus ſubiret, orationem ſuam ita temperauit, vt rem totam diuinæ permitteret voluntati, nos qui ſumus, vt idem facere detrectemus? præſertim quum orantes Dominicã orationem, & cœleſti parenti colloquentes dicamus. Fiat voluntas tua, non enim aliud decet ore, aliud mente agitare: nec de eo quod abſolute fieri optamus, partem aliquam ſubtrahere oportet. Quid porro melius, quàm in huiuſmodi ambagibus, quæ neſcias quo fine claudantur, rem diuino ſubdere iudicio; quod nec fallere, nec falli nouit? hoc enim omnis poſtulat ratio, vt cæcutiens aliquis committat ſe videnti. Exaudiri omnes, qui hoc modo poſtulant dicendum eſt: quia & ſi non id quod poſtulatur, id tamen vnum, quod maxime ſpectat poſtulatio, expletur: vtilitas ſcilicet rogantis. Non enim conqueri poteſt ſe non auditum a Rege, qui argentum poſtulans pro argento aurum retulit. Ipſe Dominus an non exauditus in horto? non quia ablata ſupplicia, quæ humano more fugiebat; ſed quia illata; & ea de re glorior effectus. Nam quia obediens factus eſt Patri vſque ad mortem, mortẽ autem crucis, propterea (vt ait Apoſtolus) exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ipſe Dominus quoq; poſt paſſionem illam acerbiſſimam oſtendens ſe diſcipulis: Data eſt (inquit) mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Exauditum quoq; Apoſtolum Paulum dixerim: non quia ablatus fuerit ſtimulus carnis, & Angelus Sathanæ colaphizans, ſed hæc ei relicta ad maioris meriti coronã: & vt antea dictum eſt, ne decideret elatus ſuperbiæ vento propter magnitudinem reuelationum. Quamobrem reſpondit Dominus roganti. Sufficit tibi gratia mea. Virtus in infirmitate perficitur. Sic Deus pro immenſa bonitate antequam panderet cauſam, ſeruauit Apoſtolum nõ modo neſcientem, verum etiam inuitum: poſtmodum ſcientem, & volentem: vbi rationem eius, quod fiebat, agnouit. Rogant multi, vt opinor Apoſtoli exemplo tentationem ſibi quampiam auferri: cupientes animi tranquillitatem, & pacem: tentatio autem illis oneroſa

eſt.

est. Audit hos quoque Deus etsi non auferat tentationem; quia velit eos sustinere, & vna cum tentatione facere prouentum. Nõ enim semper vtilis pax; sed belligerandum est sæpe nobis in hac vitæ militia: quia vbi nulla certamina, nec illic victoribus coronæ. Si certaminum piget, ne coronæ quidem expectandæ sunt: quoniam hæ propter illa contingunt. Quod si quis dicat se coronari nolle: is ingratus est Deo, & sui fastidiosus boni. Ergo in his, quæ iucunda nobis videntur, & commoda, ignoramus tamen an salutaria sint futura; subdamus diuinæ voluntatis arbitrio: deinde quicquid de his contigerit, satis auditos credamus: Non enim aliud quàm quod Deus vellet fieri optamus: nihil autem fit, nisi quod ille factum velit. Cogitandum est sæpius, q Deus omnia nostri causa vult. Non dissentiamus igitur inuicem; sed copulemus voluntates: & in hac copula, regimen sit illius, qui potẽtior est & sapiẽtior. Certũ est audiri nos non pro animi nostri, sed pro iustissima, & sapientissima Dei voluntate. Hoc testatur, & beatus Ioannes in epistola dicens. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quicquid petierimus secundum voluntatem eius audit nos. Magnum (vt opinor) beneficium Apostolus putat, quòd audiat Deus petita secundum voluntatem eius: nam si quem audiat secundum voluntatem petentis tantum, hunc potius nõn auditum dicam: qui permissus in cupiditatibus suis, & adinuentionibus ambulare, ruinæ, & perditioni relinquitur. Hæc & talia quædam intelligentes nonnulli sanctitatis studiosi gratias agebant Deo quotidianas pro beneficijs, quæ ipsis non modò scientibus, sed etiam ignorantibus, nec volentibus tantùm, sed etiam inuitis exhibuisset. Quin etiam (quod est admirabilius) gratias agebant, quòd inferorum pœnas induxisset: quoniã has eius iustitiæ maximè congruere arbitrantur, & sua commoda diuina laude posteriora ducebãt. Ergo (vt illuc reuertar) Æterna primùm, & quæ non videntur petenda. Nec dico ista temporalia non petenda. Nam Sacerdotes quoque videmus publicè pro salute corporum, pro pace temporum, pro vbertate frugum supplicare. Petenda sunt igitur, sed secundo, & tertio loco, & ita dari petenda si non fuerint impedimento ad ea, quibus primas partes in petitione nostra detulimus. Det ista Deus, non det, relinquat ac tollat pro arbitrio, modò seipsum non auferat. Tanta autẽ ignorationis nube premitur humanum genus, vt in his etiam, quæ minimè quis putaret, quid expediat non diluceat. Scientia existimatur de genere esse magnorũ bonorum, quod

quomodo deus exaudiat preces.

mihi quoque videtur. Attamen expedit nõ accipere ei, qui per eam intumescit. Econtrario nihil fœdius, nihil horribilius peccato, nihil quod Deo magis sit contrarium. Veruntamen expedit alicui cadere in manifestum peccatum, si de tali casu pudor eum cœperit, & feruidior ad virtutem capescendam resurgat. Lacedæmonij, qui vt in illis gentium tenebris optimè cõstitutam habuerunt Rempublicam præter id quod petebant à dijs generaliter bona sibi dari, quod maximè erat Socraticum, illud etiam addebant; vt nemo ab eis iniuria afficeretur, ~~ipsi autem affici possent~~. Hoc vltimum iniuria affici posse, si quispiam verba, & non sensum spectet, forsitan irriserit, quid enim tam ridiculum, quàm quum optent cæteri se ab iniuria tutos, postulare quenquam à dijs, vt ipse iniuria, idest malo affici possit? Stulta igitur videtur fuisse postulatio. At tantùm abest, vt stulta fuerit horum virorum postulatio, quin prudẽtissima potius. Siquidem postulabant aduersus mala inuictam animi patientiam atque cõstãtiam, hoc enim erat iniuria affici posse, traditam ab alijs iniuriam, placidè, humanè, tranquillè ferre, nam qui impatienter iracundè fert, & quoquomodo vlcisci dolorem suum cupit, is iniuria affici nequit. Hoc illi auersabantur, nolentes præcipitanter, & iniustè ferri, ideo illud deos rogabant. Cur non hoc idem votum sit commune Christianorum omnium, quod tunc fuit vnius Laconicæ gentis? Melius id quidem, quàm inimico optare paupertatem, aut crudele lethum. Si vrgeat inimicus, impellat, laceret, trahat, mutilet, rogari potest Deus, vt amoueat iniuriã, sed quid si nolit? sinat autem illum ruere, & indies deteriora moliri? nonne rogandus ipse, vt præstet iniuria affici posse? idest quoscunque contumeliarum aculeos lento quietoq; animo feramus, tum fraterno dilectionis studio, tum vt diuina eius virtus in mentibus nostris elucescat, quod quum cõcesserit (nam vt non concedat suppliciter, fideliterq; postulanti fieri non potest) nonne potior hæc victoria, quàm omnino sine certamine relictum fuisse? Rursus opponat se forsitan aliusquispiam, asserens superfluam esse curam petendi aliquid à Deo. Duo enim facit rogans quempiam. Vnum quòd indicat, quo egeat, & quid sibi concedi velit. Alterum quod precibus illum suis flectere conatur, quorum neutrum in Deum cõpetit. Vtra enim de causa accedemus ad Deũ oraturi? An vt indicemus quid opus sit nobis? At ille non modò melius quàm nos, sed ante nos prospexit quid expediat, quidque necessarium sit saluti nostræ, Ille vnus ex æternitate sua, cuncta iam

vidit. Quid cum fallit, qui etiam viscera nostra, & renes rimatur? At vt flectamus eum rogãdo, quasi mutabile sit æternũ Dei decretum.
,, Desine fata Deum flecti sperare precando.
Vt Virgiliano restatum est carmine. Si enim statuit dare, dabit etiam non roganti, sin aliter, ne rogatus quidem. Itaque frustra preces adhibentur. Plerique contra existimant, fatum posse precibus, & sacrificijs superari, volubilem Dei esse sententiam, qua in sententia Ægypti sacerdotes fuisse traduntIdque comprobari potest Ezechiæ Hierosolymæ Regis exemplo, cui grauiter ægrotanti, quum Propheta sic Deo mandante dixisset. Dispone domui tuæ, quia morieris. Ille conuersus ad parietem orauit Deum, fleuitq; (vt scriptum est) fletu magno. Tum Dominus per eundem Prophetam. Audiui orationem tuam; & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciam super dies tuos annos xv. Hic videtur, quod prius denũciari iusserat Deus de morte, supplici commotus fletu mutasse. Hæc quomodo se habeant discutienda sunt. Et in primis argumentationi illi superiori occurrendum, ne qui fallantur, eaq; de causa orationes relinquant, vel his minus confidenter insistant. Non enim istud continet omnes partes diuini decreti, statuit Deus dare aut non dare. Sed quid si statuit dare postquam fuerit rogatus? quis neget necessariam esse rogatiónem ad impetrandum? Et vbi impetrat, non dicendum est diuinum decretum esse mutatum, sed impletum, dum conceditur orationibus, quod his concedendum esse decernitur. Nõ omnia mortalibus gratis exhibet Deus, sed rogari se vult sæpius, nec id satis, sed laborem quoque nostrum, & curam, & diligentiam requirit, alia ratione non daturus. Nam multi non precando tantùm, sed agendo, vigilando, prouidendo, labores, pericula q; subeundo, & prospera adepti sunt, & aduersa depulerunt. Alijs quibusdam Diuitiæ, Honores, Imperia, Magistratus, quiescentibus contigerunt, adeo vt veluti in somnis viderentur effecti beati. Sic etiam e periculis subducti sunt quandoque quidam, nulla eorum intercedente cura, auxilio vnde nõ credebatur, oblato. Cur autem cum his hoc modo vtatur Deus, cum alijs alio, ne quærendum quidem. Nouit ille quid agat. Illud satis est intelligi, non semper Deum eius Dona ingerere, sed ea concedere, si humanum accesserit studium, nam si quis adipisci expectat humanarum diuinarumq; rerum cognitionem, quæ sapientiæ dicitur, nonne hanc debet à libris, à præceptoribus, à vigilijs, à meditationibus diurnis nocturnisq; petere? Ita opinor. At concedet hanc

Deus, optime, sed per hæc. Posset ille quidem, si vellet, subito eam cuilibet infundere, quemadmodum Salomoni, & quibusdam alijs infudit, sed laborantibus, hanc frequentius donat. Similiter si diuitias affectans, nolit agrum colere, nauigare, mercari, sed ociosus, oscitansq; domi sedeat, expectans, quo'd irrumpant in eius ædes diuitiæ repentinæ, vero sit propius, quo'd inutiliter expectet. Fieri potest, vt inambulando inueniat thesaurum submittente Deo, sed si quod crebrius fit, valet, illud magis inueniet, quo'd nihil agēs, nihil habet. Hoc olim quoque innotuit gentibus. Non enim falsorum Deorum veneratio impedimento fuit quominus hoc mentis lumine viderēt. Itaque M. Cato penes Sallustium grauissimum historiæ scriptorem, differens in Senatu Romano de coniuratorum pœnis, admonet Patres conscriptos, vt acriter velint intendere, nec segniter Rempu. capescere, confisos dijs immortalibus, qui in maximis sæpe periculis Romanum Imperium seruauerunt. Non enim votis (inquit) neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur: sed vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Vbi socordiæ te atq; ignauiæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati infestiq; sunt. Alter non minus eloquens historiarum scriptor, in vita, & gestis Pauli Æmilij, Perseum Macedonum Regem grauiter accusat: quo'd quum aduersus Romanos bellum gereret, & iam collatis signis dimicaretur, ipse statim ex acie excessit ob timiditatem animi, & ad vicinum Herculis fanum confugit: quasi oraturus Deum, sacraq; facturus: qui tamen (inquit) ignaua sacra ab ignauis nō recipit: nec preces contra fas audit. Fas autem non est non iaculantem signo potiri, neque vincere fugientem; neque inerti rem bene succedere, neque malum esse fœlicem. At Aemilij (inquit) votis aderat Deus. Orabat enim victoriam belli, arma vibrans, & pugnans, & milites dirigens; & omni alio Imperatorio fungens munere: Quapropter annuente Deo victoria ad Romanos peruenit, fœdus exitus Perseum est insequutus: nā exercitu eius cœso, & fugato, ipse capitur Romamq; vinctus perducitur, et omnis Macedonica Gaza multorum Regum successionibus parta, & seruata, in Romanum ærarium transfertur. Ad eandem sententiam differit Plotinus inter Platonicos Philosophos illustris, libro de prouidentia primo, cuius verba commodius quoque fuerit recensere. Demonstrata sunt (inquit) gymnasia in vrbibus bene institutis, vbi iuuenes exercere corpora, & se ipsos durare in patientia, & armorum disciplinam perdiscere debeant. Si qui

autem id negligunt, & pro labore mollem, & desidem vitam amplectantur, congressi deinceps cum viris fortibus, inermes ab armatis, ignaui ab exercitatis vincentur: quo tempore non oportet Deũ pro his, qui sunt imbelles pugnare: Lex enim ait salutem non votis, sed fortitudine in bello quærendã. Neq; decet eos, qui vouent, sed qui colunt terram, colligere fructus, neq; sanos esse eos, qui curam valetudinis nullam habent. Præterea ridiculum est, cætera quidẽ ad vitã pertinentia, omnia propria sententia facere: quamuis non ita, vt placet dijs, efficiãt. Salutem vero totam a dijs exigere: præsertim quum neq; illa fecerint, per quæ Dij homines seruari iubent. Habetis quid tali in re hic philosophorum elegantissimus senserit. Vultis ne idem comprobari vobis quoq; Poëtarum testimonio? solo vtar Virgilio, qui summus inter istos fuit: & cuius memoriam Plotinus modo retulit illata de agricola mentione. Ille nanque hunc eundem agricolam exhortans ad laborem, & veluti præsentem compellans, cum eo agit pulcherrime illis versibus.

„ Quod nisi, & assiduis terram insectabere rastris,
„ Et sonitu terrebis aues, & ruris opaci
„ Falce præmes vmbram, votisq; vocaueris imbrem:
„ Heu magnum alterius frustra spectabis aceruum,
„ Concussaq; famem in syluis solabere quercu.

O quam mire expressit illud de imbre, vt votis peteretur: Non enim est in potestate hominis efficere, vt pluat: & de cœlo, opportuno imbre aurã irrigentur. Ergo hoc votis petendum, reliqua agrorum opera non votis modo, sed manu censet tractanda: si velit quispiam frugibus vesci Cereris, ac non concussa quercu in syluis famem (vt ipse inquit) solari: At non semel facienda illa, sed quotannis ait repetenda: nec quieti, & remissioni esse locum, Sin aliter fiat

„ Omnia fatis
„ In peius ruere, & retro sublapsa referri.
„ Non aliter, quàm qui aduerso vix flumine lembum
„ Remigijs subigit, si brachia forte remisit:
„ Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

Sic veteres quoque sapientes viderunt, quod non difficile fuit videre; supplicationes, & vota inertium hominum, & ignauorum nullius esse ponderis penes Deum. Fit tamen quandoque vt sua spargat dona Deus etiam inexpectato, vt hoc quoque genus liberalitatis ostendat. Laboribus tamen, vt plurimum, & magnis virtutum exer

citationibus res acquiri vult; non votis tantùm aut precibus solis, hinc etiam sapiens quidam dicebat Fortunam sibi manu parandam. Iubet in Euangelio Saluator discipulos non esse solicitos de cibo, & indumento. Respicite (inquit) volatilia cœli, quòd non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? & de vestimento quid soliciti estis? Considerate Lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si enim fœnum quod hodie est in agro, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Scit enim Pater vester, quòd his omnibus indigetis. His verbis, & exemplis ducti nonnulli viri, orationibus tantùm, hymnis, & cãticis insistere decreuerant. Alimentorum verò, & vestimentorum nullam penitus curam sibi suscipiendam ducebant; sed eam penitus cœlesti Patri relinquebant, qui eos pasceret, vt aues, & vestiret quemadmodum Lilia; nulla eorum opera intercedente. Verùm quum non multo post egestate rerum omnium præmerentur, nec subsidium cœleste, quod expectabatur, aduentaret; coacti sunt ad opera manuum confugere, hisque à fame, & nuditate se redimere, & re admoniti intellexerunt illis Saluatoris sermonibus non omnem eximi solicitudinem escæ, & indumenti; sed eam, quæ nimis anxiè circa ista trepidaret. Aliquando tamen pauit Deus quosdam nullo eorum labore, quemadmodum de Helia sacra refert historia, & de Paulo primo eremi cultore scribit Hieronymus, vtrunque enim horum pauit Deus Coruis escam deferentibus, iam verò potum e quolibet riuulo licebat sumere. Viduæ quoque Sareptanæ concessum famis tempore, vt farina in hydria non deficeret; neque oleum in lechyto, vt his, & se, & Prophetam alere posset. Sed hæc rara sunt, neque in exemplum trahenda, efficiuntur nanque extraordinaria Dei potestate, qua ille vtitur quotiescunque visum est; sed præcipuè vbi ineluctabilis vrget calamitas, quam nulla humana superare queat industria, & suppliciter diuinum eius auxilium postulatur. Cæterum illa naturæ vox facta ad egenos omnes, quam vsurpat quoque Apostolus. Qui non laborat non manducat, præualere consueuit. Non est quærendum, vt nostri causa assidue edat miracula Deus, tunc enim expectari se maximè censet, vbi humana opè destituimur, nec segnis ille ad subleuandum vbi nullam nostram sentit segnitiem. Quum Petrus ab Herode missus esset in carcerem, cu-

ſtodireturq́ à quatuor quaternionibus militum, oratio fiebat (ſicut ſcriptum eſt) ab eccleſia ſine intermiſſione ad Deum pro eo. Itaque veniens Angelus Domini ſoluit eius vincula, & eductum de carcere, & de ciuitate mirabiliter ſeruauit, humanum enim defecerat præſidium, ideo diuinum non defuit. At quum Paulus Damaſci Chriſtum prædicaret, Iudæiq́ id ægre ferentes egreſſum eius ex vrbe obſeruarent, vt illius vitæ vim inferrent, præfectus etiam Damaſci conaretur eum comprehendere; credibile eſt tunc eum oraſſe pro ſalute, quæ ſic illi contigit, nam dimiſſus eſt noctu de muro in ſporta à fratribus, atque ita inimicorum inſidias effugit. Rectiſſime id ab eo factum, nam vbi humano more ſalus quæri poteſt, non ſunt expectanda miracula, nec tum niſi ſalus quæritur, nihil contulit Deus, ſed plurimum, quum humanum adiuuat conatum, ad exitumq́ deducit. Sed vel hoc ipſum, quod aliquid poſſumus, diuino eius munere poſſumus. Vt autem ſummatim dicam. Omnia quæ contingunt hominibus bona fluunt à Deo, non enim aliunde habentur. Sed non vnus donandi modus: Nam quandoque donat à ſeipſo, nullo humano vtens miniſterio, quandoque vt donet, operam ſibi noſtram, & induſtriam exhiberi vult, isq́ mos ei plurimus eſt. Plures nunc ſunt, qui variarum pollent cognitione linguarum. Norunt enim Græce, Hebraice, Arabice, Latine, diſſerere, hoc quod pulcherrimum videtur, longo tempore, multo ſtudio, illis partum. At quicunque fideles initio naſcentis eccleſiæ Spiritum ſanctum acceperant, omnium gentium linguis ſtatim loquebantur. Vtrique idem conſequuti diuino munere, differunt tamen, quod hi laborãtes conſequuti, illi non laborantes: Nec minus tamen plenum Dei donum his contigit, qui laborantes, quam qui non laborantes ſuſceperunt. Vt autem reuertar ad Euangelicam illam ſimilitudinem à Saluatore propoſitam, quandoquidem nullos libentius ſermones, quàm Euangelicos tractamus. Paſcit & veſtit Pater cœleſtis operantes homines, & non operantes. Paſcit & veſtit operantes, vt homines, quibus ingenium, & manum dedit, vt valeant operari, & quorum opus adiuuat ne impediatur. Paſcit itidem alios, qui mala valetudine, vel qualibet alia de cauſa nequeunt operari, vt aues, quæ neque ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & tamen ad paratum ſibi cibum, & potum aduolantes ſaturantur. Veſtit vero, vt Lilia, & reliquos agri floſculos; qui neque nent, neque texunt, & tamen ita veſtiuntur, vt horum veſtitus nitorem, nullæ regiæ opes poſſint.

exæquare. Quum igitur nõ per se tantùm donet hominibus Deus, sed sæpius in donando interuentu humanæ operæ,& aliarum quarundam rerum vtatur, prout visum est eius sapientiæ immensæ. Inter cætera per quæ statuit liberalitatem exercere, orationem humani oris,& pectoris collocauit: statuitq; multa conferre hominibus si rogetur, aliter non collaturus. Tantùm autem abest frustra orationem tunc adhiberi, vt sit maximè necessaria. Quicunq; tunc dixerit non esse orandum vt assequamur concupitum, perinde absurde se habet, ac si diceret non esse ambulandum, vt aliquo perueniatur, nec comedendum, vt nutrimentum corpori suggeratur. Ergo orationum incumbit necessitas: nec ordo tunc diuinæ prouidentiæ soluitur, si oranti conceditur, quod antea orationibus concedendum diuino decreto fuerat institutum. Fatendum est autem naturalium rerum ordinem quandoque mutari orationibus, nunquam autem illum supremum diuinæ prouidentiæ uniuersa complectentem. Ezechiæ Regi, cui diuino iussu per prophetam denunciata fuit mors, statim fuerat moriendum, si naturæ cursus ualeret: qui mutatus tunc fuit, quoniam confugiente Rege ad preces, & lachrymas, statutum fuerat immutabili Dei decreto, vt mutaretur. Valent igitur orationes: non quasi æternæ dispositionis ordinem mutantes, sed quasi sub eo ordine existentes, quo Deus concedit orationibus, vt per eas inferior rerum status in parte quapiam turbetur atque moueatur. Exeunt ordinem naturalium causarum miracula vniuersa: quæ tamen ordine illo superiore continentur; quo Deus illa ita fieri decreuit. In manu supremi Regis (vt huc reuertar) sunt omnia: qui tamen non omnia passim dat: sed sunt quædam, quæ ita demum decreuit dare, si rogetur. At id ipsum, quod rogari vult, non sua, sed nostri causa instituit. Nam si quæcunque sua munera non petitus effunderet, ea non benificentiæ diuinæ homines, sed industriæ suæ, vel fortuitis casibus forsitan ascribant. Itaque rogari vult,& crebrius rogari: quo illud firmiter hæreat mentibus, quæcunq; bona huc veniunt, ab illo fluere: nam dum supplices rogamus donari salute, vel aliis quibuslibet, nos & nostra in eius manu posita fatemur: hunc habemus fontem bonorum omnium. Magna certè fidei est exercitatio, assidua deprecatiò, quia fieri non potest, vt non credat Deo, qui se, & sua omnia de illo pendere intelligit. Hinc etiã illum exardescit amor, dum quot,& quanta nobis contulerit,& conferre paratus sit existimamus. Cogimur etiam metuere seu reuereri diuina eius mandata,

dum

dum euoluimus sæpius inter orandum, quàm facilè possit contumaces affligere. Rursus contra occurrit, tali protectis præsidio nihil esse metuendum: Nam si quid etiã calamitosum contigerit, id facilẽ exitum habiturum, & in melius profuturum: non posse eripi de manu tam potentis heri, qui nos nunc per iucunda & læta, nunc per tristia multa & aspera, ad æterna præmia vocat. His de causis iubemur orationibus insistere: quia per eas melius Dei magnitudinem, prouidentiam, liberalitatem, sapientiam, cognoscimus: & hoc cognito, magis atq; magis sanctissimæ eius voluntati obsequi curamus. Hæc omnia prosunt nobis: quid enim cõferunt preces nostræ Deo? non enim per has quicquã adijcitur, quo sit beatior. Itaq; non eget his ille: Attamen quoniã has de nobis requirit, egere putemus: sed ꝙ non egeret tamẽ, nisi nos illis egeremus. Laudamus frequẽter orando, Deũ: commemorantes quãta potestatis suæ vi omnia de nihilo crearit: quantaq; sapientia disposuerit, quantaq; benignitate, vt vtilia essent effecerit: & eò sæpius tendit oratio, vt pronuntiemus quot nobis immerẽtibus inscijsq; contulerit: veluti ꝙ homines crearit rationis compotes: beluas subiecerit: alimẽta suppeditarit: Angelorũ custodia munierit: vnigeniti sanguine redemerit: & corpori fidelium aggregarit: deq; his omnibus & alijs pluribus gratias habemus. Quicquid fit tunc in orando ad nos pertinet, non ad Deum: Non enim delinitur Deus laudes suas audiendo: nec de illis sibi pulcher videtur: quod hominibus contingit. Cur igitur adhiberi vult? quia non suum, sed nostrum amat profectũ. Hoc sacrificium laudis, quod offerimus: hæ labiorum hostiæ, quas immolamus: hoc quod incendimus thus gratiarũ actionis, nullam vtilitatem afferunt Domino cui deferuntur: nobis tamen immensam: nam præter id, ꝙ Deum magis discimus: illud etiam assequimur, ꝙ bonorum virorum explemus officium: eum laudando, cui vni omnis laus & gloria debetur: Grati etiam videmur gratijs agendis, & pia veterum beneficiorum recordatione Dominum ad noua prouocamus. Commemoramus sæpe & intendimus oratione, mala nostra, et rhetorum pene more exaggeramus: idq; gratum Deo: nõ quo doceri cupiat quasi ignoret: aut quò penes illum excitationi affectuũ possit aut debeat esse locus: sed vt ipsi melius agnoscentes miseriam nostrã, vehementius ad opem liberatoris confugiamus, & salutẽ appetamus. Territus nãq; animus imbecillitate humanæ vitæ, territus varietate periculorũ & casuũ vndiq; circunstantiũ, territus magnitu-

E

dine peccatorum suorum, & diffidens sibi suisque viribus, tanto ardentius committit se Dei patrocinio, quanto acutius perspicit, nihil extra Deum relictum sibi, vnde subsistere possit. Ne illud quidem prætereo: Deum rogari velle, ne sorderent & vilescerent eius dona vltro ingesta. Vult enim magno extimari: p̃sertim ea, quæ extra ordinem concedit: & verè digna sunt extimatione, omnia diuina dona; sed magis æstimabuntur, si labore aliquo & sudore fuerint comparata. Non enim gratis habetur ad quod pretio precum peruenitur: imo vulgo dici solet, nihil tam care emi, quàm quod precibus emitur: Et multi dicũt. Malo emere, quam rogare. Illa vero grauior, dignior & magnificentior orandi causa: vt mentem, spiritum, cor, Deo iungamus: qui fons est bonorum omnium vel omne potius bonum: quo in congressu, qui fit arrecta mente: sancti viri, sanctæq; mulieres prægustantes iam aliquid illorum cœlestium gaudiorum, non possunt deinceps hæc terrena nostra respicere: tanquam sordida, & fœda, luctus mœrorisq; plenissima. Pleriq; autem adeo exarserunt meditando, vt humanos omnes sensus amitterent: spiritu solo vigentes, quo Deo innectebantur. Omnem enim animi vim collegerant, vt eum sequerentur, quem maximè diligebant, & cum quo consistere cupiebant: qui spiritu solo qualitercunque apprehendi potest. Huc quicunque peruenit, vt possit euolare mente ad Deum sine vllo mortalium rerum sensu, hic intelligendus est flagrasse iam antea diuinorum amore: sed tunc maximè id ostendere, quum extra se veluti ebrius de illorum conspectu fiat. Quicunque talis est, is vbi se ad Deum conuertit aliquid petiturus, eo quandoque deducitur præ magnitudine amoris eius quem prospicit, vt petitionis etiam suæ obliuiscatur. Sed de his dicendum aliquid posterius fuerit: pertinent enim ad illud orationis genus, quod mentale, seu spiritale vocare possumus: Sunt autem hæc paucorum: qui mundum cum eius pompis & concupiscentijs exuerunt. Nostra autem oratio tam alte ascendere nequit: quia terrenis occupati curis languidius Deum prosequimur. Orandum tamen; quia nullius desiderium, nullius preces ille spernit. Vera hæc sunt (inquit aliquis) nam causæ magnæ & plures sunt cur orandum sit: Quamobrem orandum censemus, & orabimus: sed quomodo id fieri debeat scire vellemus. Non frustra (vt video) id quæritis: nam parui refert scire quid faciẽdum sit, nisi ratio et via faciendi demonstretur. Sunt enim, qui non aliter orandum putent, vbi verbis id peragitur, quàm verbis diuinitus afflatæ scriptu-

[handwritten margin note: quomodo et [illegible] verbis orandum.]

ræ:quod vt rectè fiat, non tamen coarctandus est Orantis spiritus: quin alio verborum et sententiarũ genere vti queat, eo scilicet quem suggerit affectus, & quo magis in Deum rapi posse videatur. Ipsos videmus Prophetas & Apostolos variasse orandi formulas: & temperasse orationis suæ genus ad id quod agebatur: quamuis Apostoli, iam antea orandi formam à Domino suscepissent: Non enim fuit illis cura verbi, sed sensus: quem tenentes liberi erant in verborum delectu: Nihil referre arbitrabantur, qualibus verbis & sententijs aliquid peteretur, modò ad aliquam orationis Dominicæ partem referri posset. Ipse Dominus qui cæteros docuit quomodo orandum esset, vtitur alijs verbis: vt Pater venit hora, clarifica filium: & in horto. Pater si fieri potest. Demum (vt semel finiam) his modis & figuris loquutionis vtendum, quibus affectus & mens orantis inflammari magis & ascendere ad Deum posse videatur: Non enim potest oratio ardens & arrecta ad Deum peruenire, quæ nos antea arrexerit et inflammarit. Tanta vis locorum illorum, qui tractantur in dicendo, vt non solùm audientis mentem rapiant, sed etiam orantis: & quanquam Deus, quem vnum alloquimur, nullo verborum & sententiarum artificio, aut pondere trahatur: Interest tamen nostra cuncta depromere: quibus et miseriam nostram facilius et illius misericordiam latius agnoscamus. Nihil diffugiendum quod faciat ad illum intelligendum liquidius, & inflammatius appetendum: nouit nos ille intime: non sic nos illum. Ideo non sua causa, sed nostra amat in precem effusos: & perinde agi tunc vult secum, ac si mortalem Regem inscium rerum & cogitationum nostrarum, perturbationibus animi obnoxium, flectere precando oporteret. Idque hinc conijci datur: quòd in ipso psalmorum opere, quod orationum opus vocare possumus: (nam & si multa continet mystica, orationes sunt tamen) nihil prætermittitur, quod faciat ad commouendum eum, quem precaturi sumus: quod idem quoque fit in Propheticis & Apostolicis literis: Quàm multa dicũtur asperè in aduersarios Hierosolymæ, quæ tunc ecclesiæ figuram gerebat? Deus venerũt gentes in hæreditatem tuam: et cætera: longè lateq; explicantur in aduersariorum odium et nostri commendationem. Coniungimus etiam sæpius causam nostram cum Deo & ostendimus malum nostrum ad illius iniuriam pertinere: quo circa illa dicuntur: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua & veritate: ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Et alio loco idem Psal-

psalmi sunt orationes

mographus. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarū, cito anticipient nos misericordiæ tuæ:quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris,& propter gloriam nominis tui Domine libera nos: Et propitius esto peccatis nostris propter nomē tuū ne forte dicant in gentibus vbi est Deus eorū? eandem sententiā repetit alio loco. Imple facies eorū ignominia, & quærēt nomē tuum Domine. Erubescant & conturbentur in seculum seculi,& confundantur & pereant: Et cognoscent, quia nomen tibi Dominus: Tu solus altissimus in omni terra. Sæpius expostulatio fit cum Deo. Sic, Hieremias. Seduxisti me Domine & seductus sum: fortior me fuisti,& inualuisti. Sic Moses quoque, quum sustinere non posset populum flagitantem in eremo carnes, ait ad Dominum. Cur afflixisti seruum tuum? Cur non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Vehemētior illa expostulatio,& quasi officij admonitiō. Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut inferi exurgent & confitebuntur tibi? Nūquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuā, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; & iustitia tua in terra obliuionis? & econtrario adhibetur quoque verborum illecebra, velut a blandiente: sic idem Hieremias. Ne sis mihi tu formidini: spes mea tu, in die afflictionis. Et in psalmis. Spes mea ab vberibus matris meæ. Et Domine spes mea a iuuentute mea. Imploratur etiam quandoq; Deus ne relinquat nos humano iudicio: vbi scilicet calumnijs inimicorum premimur: Sed ipse met iudicet & cognoscat: quemadmodum ille dicebat in eodem psalmorum opere. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: cum alijs pluribus, quæ adijciuntur. Et alibi, iudica me Deus,& discerne causam meam de gente non Sancta: ab homine iniquo & doloso erue me. Et rursus. Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus; & non supergaudeant mihi. Quid illa præfatio, qua vtimur initio orationum? Domine exaudi orationem meā, & clamor meus ad te veniat: ita dicitur, quasi excitare velimus, vt indormientem; & veluti parum attentum. Quin etiam obtendere aperte possumus in Deo somnum & obliuionem: & cum eodem Propheta orare. Exurge, quare obdormis Domine: exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ,& tribulationis nostræ? Iam illud audacius: q accedimus etiam cum pol-

licitatione: quasi habeamus aliquid, quod rependamus pro his, quæ dari petimus. Docebo iniquos vias tuas; & impij ad te cōuertentur. Et, os meum annunciabit laudem tuam. Tunc acceptabis sacrificiū iustitiæ, oblationes & holocausta. Laus etiam adhibetur ad beneuolentiam conciliandam: qua recte' vsi sunt Apostoli, quum substituere collegam vellent in demortui locum. Deus qui corda omniū inspicis, Hæc summa & vnica laus est Dei, quæ tempore prolata est. Quia ad id pertinet, quod tunc agebatur: vt quoniam ipsi non cognoscerent qualis intus esset homo, ipse deligeret, quem tanto muneri magis idoneum videret. Narratione sunt etiam vsi apte & luculenter ijdem Apostoli in eisdem actis. Conuenerunt enim vere aduersus puerum tuum Iesum in ciuitate ista. Aliquando exponitur tantum id quo egemus, & nihil vlterius petitur: nisi forsitan gemitu vel vultu, vel quolibet alio corporis gestu: quale illud est de Euangelio. Vinum non habent. Nulla ibi alia vox legitur emissa: attamen intellexit filius, quid mater fieri cuperet. Quum quidam offendisset Cæsarem Octauianum toti tunc orbi imperitātem, peteretq; veniam errori, scripsit ad eum versiculos illos.

Si non peccassem, tu quid dimittere posses?
Materiæ veniam sors tibi nostra dedit.

Quanto melius id Deo diceretur: qui vnus potest peccata dimittere: & libentissime' supplicibus dimittit: & qui optime' nouit (secūdum Apostoli verbum) figmētum nostrum? Possumus igitur cum Deo ita agere, vt meminisse velit figmenti nostri, quàm fragile, quanq; ad peccandum sit præceps: meminisse naturæ suæ: cuius proprium est misereri & parcere: esse peccatorum nostrorum miseram illam quidem conditionem: sed quæ vberrimam tamen præbeat materiā clementiæ suæ: minus cognitum fore, quàm benignus esset, si nihil ipsi peccaremus. Sunt etiam obsecrationes & obtestationes, quas nos Christiani maxime frequentamus: rogantes Deum per eius filium; per ipsius erga nos caritatem ineffabilem: per mortem, per resurrectionem, per omne id quod nostra causa vel dixit vel fecit. Summatim autem vt comprehendam: quicquid ad alium hominem diceretur commouendi causa, id Deo dicitur: quia hoc modo retractando, & considerando, quid nos simus, quid ille: quorum vtrunque precibus nostris declaratur: eo' deducimur, vt a nobis recedentes illum magis amplectamur, a quo vno salus nostra cōtinetur. Hinc etiā illud est, quod primum in præceptis esse volo: vt

qualis esse debe: mus orando.

humiles, supplices, deiectiq; ad orationes accedamus: non iactantes merita nostra cum aliorum etiam cōtemptu, sed extimantes id quod est; neminem tam subductæ esse rationis in vita, vt non delinquat: nam & Apostolis, quorum futura maior erat sanctitas, præceptum est, vt euntes in orationem, petant sibi a Domino debita dimitti: Si illi debent, quis immunis? Quàm porro stultum est putare in oratione se esse sine peccato, quum pro eius dimissione iubetur orare? Quis Ioanne Apostolo sanctior? quem diligebat Iesus: qui supra pectus Domini in cœna recubuit: cui virgini virginem matrem commendauit? Attamen eius est ille sermo. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; & veritas in nobis non est: Et Daniel tātus ille Propheta. Quum orarem (inquit) & confiterer peccata mea & peccata populi. Ita, ne hic quidem fatetur se sine peccato. Nec ille, qui clamabat in psalmo. Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non igitur sine his leuibus & quotidianis peccatis vita transigitur: quæ & si nobis Deus imbecillitatis nostræ misertus facilè condonat: attamen peccata sunt: & quantùm illis est, capitis reos facerent. Fuerunt olim & sunt nunc etiam (vt opinor) in ecclesia viri magnitudine virtutum insignes, Fortes, Pij, Misercordes, Continentes, & quid uis iustitiæ causa perferre parati. Attamen in multis quotidie offendimus omnes. Nemo est illorum quin seruus sit inutilis, etiam quum omnia fecerit. Cogitantes igitur, quòd quantuncunq; sanctitati morum studeamus, non omnino tamen ab omni criminis labe puri sumus: humillimè debemus de nobis sentire: nec in oratione virtutes & gesta nostra in medium deducere: sed diuinam clementiam, misericordiam, bonitatem, largitatem ad Deum ipsum allegare: Ipsum illum esse, qui peccatis nostris nunquam vinci potuerit quin misereretur: oblitos sui, admonuisse: auersos reuocasse: venientes benigne suscepisse: eripuisse a periculis: & rectè incedentes deduxisse: Petere ergo, vt more suo vtatur: petere vt quod efflagitatur, concedat: quò eius laus, Fama, Gloria, Maiestas magis & magis eluceat: vtilitasq; et salus nobis alijsque pariatur: Nos indignos esse, qui aliquid exoremus, ob delicta: ad quæ nolit respicere, sed ad se ipsum magis: quid nouit etiam de iniquis promereri. Itaque grata erit oratio nostra, si nullo cum tumore illic erimus. Qui autem potest esse tumor? quum omnia etiam nostra benefacta, benecq; dicta ab illo sint? & nihilominus eadem quamuis precellant, si diuinæ iustitiæ & bonitati fuerint

comparata,sunt omnia(vt cum Propheta dicam) panno menstruatæ mulieris fœdiora. Sed quam multa desunt quoque ad virtutum cumulum: nam vt etiam multum habeamus, plus est tamen, quod non habemus. Itaque studendum est semper, vt aliquid adijciatur: non de acceptis intumescendum: quasi aliquid simus,& multum labori industriæq; nostræ sit tribuendum. Omnino ea est Dei natura, vt prauis quoque aliquid largiatur: veruntamen haud facilè exaudiri dixerim hos superbos,qui omnia meritis suis deputant: & dignos arbitrantur,qui impetrent petita. Nos igitur oraturi circunspiciamus diligenter,qui nos sumus:& quis ille,quem alloquimur. Nos enim terreni: Ille cœlestis: Nos imbecilles: Ille fortis: Nos Ignari: Ille prudens: Nos impuri: Ille purus: Nos miseri: Ille Fœlix: Nos Finiti: Ille Infinitus. Neque hoc dico, quo terreamur maiestate tanti numinis: imò confidenter illuc accedendum seruata tamen reuerentia & humilitate. Si enim infirmitatem nostram & illius amplitudinem agnoscentes deijcimur, inclinabit se ipsum & propius accedet: Imò & ingredietur et penes nos manebit: Sin arrecta ceruice oramus, loco manet ille:& magnum interuallum atque chaos inter nos & ipsum. Terreri autem non decet ob eum, qui potentiæ admixtam habet bonitatem. Est Creator: sed idem quoque est Redemptor: Est Dominus: Sed Pater quoque. Est Iudex: sed Aduocatus pariter piorum & supplicum. Fiducia igitur sit, sed humilis: non inflata, non arrogans, non superba. Maximè autem humilitati studebimus, si in animo illud crebrius voluemus, placere Deo magis peccatorem deiectum, sed resipiscentem, quàm Iustum erectum: quod satis aptè expressit Saluator in persona duorum illorum Pharisæi,& Publicani. Orabat vterq; sed primus virtutes suas commemorans cū proximi Publicani contemptu reiectus est. Alter verò peccator, quam miser, quanq; dolens accessit? qui pugnis pectus percutiebat: qui quod præ pudore ad cœlum oculos leuare non audebat, potuit vel cœlum ipsum sui misericordia ad se inclinare. Itaque hic sic gestis iustificatus, a templo discessit. Hoc igitur primum sit in oratione, deiectio sui ipsius: Sed quid si appellemus quandoque orando Deum, vt debitorem? num id arrogantiæ deputabitur? non opinor: modò illud intelligatur; quod debitor sit Deus, id eximiæ fuisse misericordiæ seu liberalitatis: Non enim debitor est ex dato nostro, sed ex suo promisso. Non possumus dicere Deo. Redde quod accepisti: possumus tamen dicere, da quod promisisti. Pudet forsitan cōuenire Deum velut ex chi-

rographo: ſed quid ſi ille ſic ſe ſe voluit obligare? huic eius voluntati, non reſiſtam. Non equidem poſtulaui hoc chirographum: ſed vltro delatum ab eo, qui poteſt & ſolet liberalitatem exercere, non aſpernor: non enim periculũ eſt ne calumnioſi more debitoris ſcripturam non agnoſcat: quin prompte agnoſcit & promptius, quod ex ea debetur, perſoluet. Clamat Dominus in Euangelio. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & Ego reficiã vos. Cur non hanc promiſſam refectionem poſtulem? dicens me ad eum veniſſe: ſi tamen veni. Pollicitus eſt (Propheta nunciante) obliuionem peccatorum, quacunq; hora ingemuerit peccator. Ecce ingemiſco; pœnitet geſtorum: obliuiſcere: nam ita dixiſti, & ſcribi mandaſti. Promiſit per filium, æternam vitam omnibus qui in eum crederent: Hic te teneo Deus: Veritas es: non me fallet veritas: duo hæc ſunt: fides: & eius præmium æterna vita: Si mihi dediſti vt crederem in vnigenitum tuum à te miſſum, quod non promiſeras: non negabis ſecundum: quod in prioris gratiam promiſiſti. Poſſumus igitur hoc modo dum precamur, non ſolum ad Deum miſericordiã ipſius & clementiam, ſed etiam veritatem promiſſorum allegare. Inter promiſſa, illud quoque ponere poſſumus: ꝙ auditurum dixit petitiones noſtras: & daturum quæcunque ſaluti vtilitatiq; noſtræ apparentur. Si terrenus Rex iuſsiſſet nos petere quicquid vellemus, ſe petitionibus noſtris non defuturum: Nos autem egentes aliquo, quod ille facile dare poſſet, adiremus ad eum cum illa præfatione: iccirco inductos aliquid petere ab ipſo, ꝙ nos ſæpius iuſſerit ſeu exhortatus fuerit ad petendum: quantum momenti & roboris habere videretur hæc oratio ad obtinendum petita? Quæ igitur cauſa eſt, vt non eadem vtamur præfatione oraturi Regem cœleſtem: quo maior creetur in nobis fiducia petendi & impetrandi? Non enim ſimulate aut temporis cauſa petere iuſsit, ſicut mortales homines plerunq; ſolent: Neque ipſum vnquam pœnitebit pollicitationis ſuæ, ſicut terrenum Regem pœnitere forſitan poſſet. Et hoc quidem modo petendum cenſeo. Sed accedat quoque oportet ingens, vehemens, & acris intentio in petendo: & feruidum, (vt ita dicam) pectus habendi quod petitur. Hoc innuit Dauid: petens ſæpius à Deo in pſalmis, vt clamorem eius exaudiat: ſignificãs quanto ſtudio petat; vel num putamus potius illum ſubleuata voce appellaſſe Deum, quaſi cum ſurdaſtro res ſibi eſſet? An illud verius: Non eſſe vnum tantùm oris clamorem, ſed mentis quoque alterũ:

non

non enim os solũ, sed mens quoq; loquitur. At si loqui pōt clamare quoq; pōt: clamet igitur orando: nã oris clamor debilis est: vix vicini sentiunt: At ille mẽtis, validissimus est: ipsas penetrãs nubes, & diuinas pulsans aures, tonitrui instar et fulminis. Hinc ad Mosem Deus, quũ ex Aegypto egrediens cum omni Iudæorum manu iam ad mare peruenisset: & à Pharaone exercituq; eius premeretur, quid ad me clamas inquit? nulla vox ibi legitur emissa: attamen qui tacebat hominibus, obstrepebat Deo. Magno enim studio, magna animi solicitudine et cura, salutẽ illã Moses petebat. Somniculosè et frigidè si petisset, nõ clamasse diceretur: Sed clamabat ibi, vbi Deus tãtum audire potest. At eandẽ rem vrgere quoq; sepius oportet: nec defatigari supplicando. Sæpe enim nõ impetrat oratio nisi repetita, & crebrò ingesta. Differt & cunctatur frequẽter Deus: vel vt teneamur orandi studio tam pio, tanq̃ vtili; vel vt carius pendamus eius munera, quó numerosiore prece & duriore labore fuerint obtenta: vel quia alio die, quod petimus, expedit nobis forsitan dari. Nouit Dominus oẽs tẽporum articulos, quibus vnum quodq; dandũ sit: hosq; ille obseruat. Non igitur ægreferendum, quód differt: quoniã dilatio ista nõ est indignationis, aut inuidentiæ, aut negligentiæ: sed prouidentiæ. Quapropter quidã e patribus in oratione sua dicebat. Fili Dei, sicuti vis & sicuti scis miserere mei. Vt autem orationes repetamus, instemus, vrgeamus, admonet nos ipse in Euangelio: exẽplo nobis proposito impij illius & scelesti Iudicis, qui tam etsi nec Deum metueret, nec homines reuereretur: assiduã tamẽ & indefessam viduæ interpellationem non tulit: sed ad extremũ præstitit q̃d rogabatur: sumpta de nece filij vltione. Adhibuit ẽt alteram similitudinẽ nocturni illius postulatoris: qui clamoribus & improbis pulsationibus ad fores factis, commouit amicum se excusantem, vt media tãdem de nocte relinqueret cubile: & surgens panes quotquot opus erat, proferret. Hæ similitudines non alio spectant, quàm vt colligatur, si opportunæ & importunæ preces penes homines cõficiunt: multò magis eas penes cœlestem parentem profuturas. Homines non caritate, sed tædio sæpe victi, dant quodammodo nolentes: vt abigant a se molestum flagitatorem. Quid ille, quem nullum vnquam nostri tædium cœpit? qui paratus est magis dare, quàm nos accipere? quomodo assiduam solicitamq; iusti viri deprecationem sustinebit? Reliquum est, vt occurrat animo, quod idem dixit in Euangelio Saluator. Quicquid petieritis Patrem

in nomine meo, ipse dabit vobis. Ergo optimum est ad facilitatem obtinendi nomen illud salutare: quod in omnium fidelium cordibus infixũ & insculptũ esse debet, precibus quoque nostris intexere: Rogantes Patrem per vnigenitum filium quem nobis condonauit, per vulnera & supplicia, quæ nostri gratia excepit: per merita acerbissima suæ passionis, quibus redemit, vt preces audiat nostras. Hic est egregius ille obsecrandi mos, quo ecclesia quoq; vtitur supplicans assidue Deo per filium, quẽ carissimũ habet: quem cõstituit Dominũ vniuersorum: per quẽ fecit & secula: quẽ voluit sublimem ad nostra humilia descendere, vt nos humiles ad sublimia attolleret. Quemadmodũ olim in lege populus non ingrediebatur per se se in sancta sanctorum, nec hostias offerebat, sed pro ipso Pontifex hoc fungebatur munere, sic nos per Pontificẽ omniũ maximum offerimus & obsecramus. Est res omnino sacra Oratio: ideo sacro quoq; hoc inspergẽda fuerit nomine. Nomine inquam IESV CHRISTI, Quod sane nomen acceptissimum Patri: Venerabile Angelis: Tremendum Dæmonibus: Hominibus adorandũ: Nomẽ quod est supra omne nomen: sine quo nemo salutem capit. Ergo inter tã multa orationis nostræ nomina, hoc tantum quoq; nomen fulgere debet. Nemo enim propter se ipsum exauditur, sed propter Christũ, qui vniuersum genus humanum meritis suis impleuit, & cœlesti Parenti reconciliauit: quod Apostolus vidẽs Petrus suadet in epistola priore, vt offeramus hostias spiritales acceptabiles ꝓpter Christum. Et de oratione quidem, quæ vocali fertur sonitu, hæc dicta sint. Meministis enim (vt opinor) me initio sermonis, orationẽ hãc, qua Deo supplicamus, in duo genera diduxisse: horum vnum dixi voce peragi: alterum mente: & illam, vocalem, hanc vero, mentalẽ orationem vocabam: non ꝙ illa vocalis non egeat quoq; mẽte speculatrice, & verborum moderatrice: sed sic dicta: quia vocis pariter officio constaret: quippe palam est pene necessarium fore vt sermo quoq; noster rerum conditori deseruiat, cui nihil satis pro dignitate impendi potest. Sed humilior est, & sponte sua squalidior illa vocalis oratio, qua pro materia & vehiculo vsi sunt plerunq; viri sancti ad hanc alteram orationẽ, quæ mente sola peragitur: assurgentes de corpore literæ (vt sic dicã) ad viuificantem spiritum. Hæc est vere illa princeps Oratio, cui alterã ancillari oportet: quum sermone mẽtis solo peruolamus ad Deum: quum spiritu orantes, innectimur benefactori nostro æterno: qui & ipse spiritus est. Hæc est oratio, pro

pter quam dum precamur quieti & silentes: internas cordis agitationes sentire Deũ, noscere, percipere fatemur: hacq; ratione immensam eius omnipotẽtiam comprobamus. Hæc quo prolixior, flagrãtior, crebior, eò melior. Hæc dies totos, hæc noctas integras suo iure potest auferre. Nemo vnquam sanctorum, qui aliquo fuerit numero, hanc prætermisit. Nempe prostrati illi non intra cubiculum, sed intra cor: non ostio, sed ore clauso: non latenter, sed inuisibiliter fundebant preces: a Deo quidem, quem mente contingebãt, audiendas. Plerosq; autem tam vehementer arripiebat orandi feruor, vt eos omnis sensus desereret. Anima nanq; vnis intenta diuinis, nullum præterea corpori ministerium exhibebat: perinde ac si ex eo euasisset: quin etiam vis animæ plerunq; eorum corpora ab humo diducens in aere suspendit. Et si meam sentẽtiam quæritis; verè fœlices illos iudico, qui collectis omnibus intra se sensibus, mente coërcita, ne per diuersa discurrat, & extrinsecus visorum imagine quatiatur, sentiũt se spiritu sublatos Dei cõspectibus assistere: ibidemq; ante illud cœleste iubar orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones humillimè profundunt. Horum vnus beatus Antonius eremi illustrator: Qui quum perpetem sæpius noctẽ in oratione duceret, vbi Solis ortus cæpisset infundi, exclamabat. Quid me impedis Sol? qui ad hoc oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate? Huius viri peregregia fuit hac in re sententia: Non orare monachum, qui hoc ipsum, quod orat intelligit. Quod si tam vtilis est tanq; grata, quàm ab initio docui, quæ verbis diffunditur Oratio: quid de hac spiritali futurum est, quam principem esse omnes concedunt? Aspicias stantem Solem: Mare altrinsecus retentis aquis, siccum per medium sui præbens iter: Resurgere iam mortua corpora, si hæc adhibeatur: Eadem efficit prophetas viros. i. futurorum præscios: spiritumq; sanctũ de cœlo deductũ, humanis cordibus inducit, & hoc terrenũ animal in cœleste trãsformat. Exemplis vterer in rem aptis, nisi ex omnibus Christianorum monumentis infinita erui possent: Dicam aliud mirabilius. Tantarũ viriũ hæc est Oratio, vt sola Omnipotentissimum, fortissimũ, inuictissimũ Deũ flectat, mitiget, moueat: & demum (vt dicam quod sentio) superet quodammodo, & vincat. Quid enim vult, ꝙ quum Israeliticus populus in solitudine degens vitulũ ex auro fusum statuisset sibi pro Deo, eumq; adorasset, tãtumq; id scelus Deus Mosi penes se in mõte agenti indicasset, subdit postea idem Deus? Dimitte me, vt deleã

populum istum: & faciã te in gentem magnam: Quid est hoc? dimitte me. Num quisquam mortalium aut immortalium opponere se potest Deo & retinere furentẽ? Certe illis verbis indicat Deus alíquem posse. Quem putamus? Non alium profecto quàm eũ, qui humilem supplicemq; fuderit orationem. Prospiciens nanq; Deus Mosem oraturum pro populi salute, & veluti præoccupans, petit ne se retineat, cohibeat, sed iræ suæ relinquat. Veruntamen supplicauit Moses: adeo vt diceret Deo, si nollet peccatum illud populo dimittere, se ipsum quoq; de vitæ libro deleret. Itaque salutem illã obtinuit: & coërcuit Deum ne meritas pœnas de sontibus sumeret. O magnam orationis vim: quæ iratum contineat Deũ, ne irruat in peccantes. Ponit iram, & vinci se patitur precibus is qui solo nutu cuncta commouet. Hinc etiam Poëta quidam vetus dicebat.

Sæpe Iouem vidi quum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

E lucet hic quoq;, quod initio sermonis huius mei posui: Orationibus sanctorum mortem impendẽtem euadi. Nã tunc populus ille, qui peccato suo tam fœdo fuerat occidendus, orationibus Mosis cõdonatus est: sicut & Paulo nostro animæ ducentæ septuaginta sex: quæ cum eo à Creta soluentes nauigabant Italiam versus: & inciderant in tempestatẽ; & aduersis flatibus iactabãtur: obtinuit ille precibus suis ne naui fracta vllus nauigantiũ periret, sed incolumes oẽs ad litus peruenirẽt. Possunt sancti viri legẽ Domini imo ipsum Dominũ die ac nocte meditantes, mirifica quædã orationũ suarũ vi efficere. Veruntamẽ quoniã vos secularium rerũ curis impediti, tam altè ascẽdere nõ valetis: restat illud vt quãdoq; tacito cordis affectu, quo modocũq; potestis, ad Deũ peruoletis, et ab eo salutaria potius omni tẽpore futura, quã in præsens iucũda petatis: custodientes ea, quæ superius expressa sunt, dum de vocali oratione agerẽ: nã quæ de ea expressa sunt, ad hanc alterã mentalẽ orationẽ trãsferri possunt. Cẽseo ẽt illã alterã orationẽ vocalem frequentandam: Nemo.n.tam negociosus esse potest, quin in ipso lucis exortu de cubili surgẽs, et sub ipsius diei occasum ad nocturnã quietem se componẽs, paucas valeat euoluere orationes: quibus se, & sua omnia Deo cõmittat: & roget, vt peccata dimittat: & à malis vrgentibus eripiat; et sua dona augeat: & quod largiri dignatus est, velit esse propriũ & perpetuũ; & quod hic cœpit, perficiat in vita futura. Esset excusatio occupationũ, si longam cantilenam requireret de nobis Deus: sed quum ipse

vnicum habeat verbũ,non numero ducitur verborum:ſed pondus mentis magis æſtimat. Nec ſanè refert quo corporis geſtu habituue oratio fundatur:ſiue quis flexis genibus demittat ſe;ſiue pronus procidat in terram;ſiue ſublatis manibus ſupinus cœlũ ſpectet. Sed & ambulando expleri id munus poteſt:& ſedendo quoq;:modo humilis mẽs Deo iungatur. Lego nanq; Dauidem & Heliam ſedentes oraſſe:& ſtantẽ Publicanũ:& fixis genibus Stephanũ:& Paulũ, & (vt Auguſtinus inquit)niſi etiam iacentes oraſſe poſſemus, nõ eſſet ſcriptũ in pſalmis. Lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ: & lachrymis meis ſtratũ meũ rigabo. Mos fuit olim Chriſtianorũ orare, verſos ad orientem:vnde cœlum conſurgit:quod hodie quoq; a Sacerdotibus publicè in templis ſeruari videmus. Hoc tamẽ non prohibet quin poſsit quiſpiã orare conuerſus ad alias orbis partes; prout libuerit et occaſio tulerit:ſola ſeruorũ ſuorũ deſideria inſpicit Deus: cætera,quæ huic rei concomitantur, indifferentia ſunt. Ergo tantum id refert;paruo ne,an magno roget aliquis affectu: clamet, an vix vocem emittat:quanquã etiã ſi tacuerit quis,nihil oberit:modo flectu,gemitu,ſuſpirijs,loquatur:quibus id negociũ plerũq; peragitur:hæc,ipſis ẽt verbis potiora ſunt. Licet autẽ aliquis veſtrum ditiſsimus ſit, adhuc tamen ſicut pauper oret: nam & incertum eſt, num & hæ diuitiæ manſuræ ſint diu:ſimul & illud:quod non dum veras futuri ſeculi diuitias poſsidet. Semper proprium & peculiare munus Chriſtianorũ fuit orare. Hinc orta religio. Hinc a paruis progreſſa initijs adeo profecit, vt breui tẽpore oẽs vrbes,agros,litora,inſulas,maria occuparit. Hæc omnium regum colla, omnium gentiũ fremitum,minas,ferociam contulit atq; fregit:& fidei iugo ſubiecit. Hæc Dœmonum potentiam,Idolorum cultum, templa veterum Deorum proſtrauit. Sed non modò grauibus in cauſis & maximis contentionibus, & prælijs quæ pro fide & religione aduerſus gentes noſtri ſuſceperant, oratione vtebantur,verum etiam leuioribus in rebus eò confugiebant: Nihil primis naſcentis eccleſiæ temporibus Chriſtiani prius habebant, quãm doctrinæ & orationibus inſiſtere:quæ quid agebatur ab illis, aut deprecatio erat, aut deprecatione conſecrabatur. Maximas autem vigilias agebant, & antelucanos cœtus habere conſueuerant: tum orandi pſallendiq; gratia: tum ad collationem diſciplinæ. Tantum orandi ſtudium eos tenebat, vt Philo Iudæorum diſertiſsimus, quum de eorum inſtituto ſcriberet, librum, quo id facit, inſcripſerit de vita

Geſtus qualis in orando.

conteplatiua supplicũ. Ergo orationẽ, vt patrimoniũ maiorum, vt peculiare gentis insigne arctius tenere debemus: nec vllo tempore omittendũ putare, præsertim quum Apostolus Petrus Christianos omnes, Regij & Sacerdotalis generis esse dicat. Vngimur enim dũ sacræ religionis initiamur mysterijs, Christoq; renascimur: quod olim tantũ Regibus & Sacerdotibus licebat. Si sacerdotalis igitur dignitatis cõsortes sumus, quid æque ad Sacerdotes spectat, quã orare Deũ, cuius tẽplũ est vniuersus hic mũdus rutilans, Solis, Lunæq; fulgoribus, & aliorũ luminum magnitudinibus immẽsis? Quanquã orantes templũ aliud propius & vicinius & gratius & fulgidius extruimus Deo pectus nostrũ, intra quod oramus: Non enim meliora tẽpla his habet Deus: nec alia sibi magis consecrari requirit habitacula. Apud me (inquit Psalmographus) oratio Deo vitæ meæ. quẽ locum tractans Augustinus: Non vt suplicem Deo, (inquit) afferã de transmarinis locis thura & aromata: non adducam de grege vitulũ aut arietem: Intus habeo victimã, quam immolẽ: intus thus, quod imponam: Intus sacrificiũ, quo flectam Deũ meũ: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Hæc nos deducet oratio ad cœlestem illã patriam, ad quã nunc votis omnibus anhelamus: vbi reuelata facie speculantes gloriam Domini immensis obruemur gaudiorum vndis: & de omni beatitudinis copia saturabimur. Omnia iucunda, læta, suauia experiemur, nullo amittendi metu. Nihil optabimus, quod non habeamus. Nihil habebimus quod non fuerit optandum. Itaq; quod nũc spe sequimur, tunc re assequuti, cantabimus forsitan cũ Propheta. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum in ciuitate Dei nostri: Non enim vbi illuc deduxerit oratio, relinquet: imo adhuc nobiscum manebit eadem: nisi ꝙ fortius & concinnius sonabit. Hic dũ animus grauatur mortali hoc corpore, manca est & imperfecta cognitio magnitudinis & bonitatis diuinæ: ideo deficit tũ laudatio, tum gratiarũ actio. Illic quo clarius intuebimur, eo excellentius tã præclaro, tamq; magnifico fungemur munere. Itaq; incohãda est hic oratio, vt illic perficiatur, & in via suscipiẽda vt comes, quæ in patria nobiscũ perpetuo hærebit. Quod enim in æternũ facturi sumus, nunc ei assuescere conuenit: Enimuero in cœlesti patria nihil incohatur, sed quod hoc loco incohatum est ruditer & impolite, illic expolitur & absoluitur. Quamobrem verendum erit ne si hic orationem abiecerimus, quo vno munere sanctorum animæ in

patria funguntur, illis sedibus excludamur, tanquã nullã hic laudationẽ Deo cantauerimus: quæ inter sanctos illos globos perfici illustrariq; possit. Omnia quæcunq; circunspicimus, exhortãtur ad laudationem diuinam, & gratiarũ actionem: plena est terra: plenũ mare, plenum cœlum Dei donis. Nihil habemus, quod ab eo non susceperimus: præter peccata, quibus tãti numinis maiestatẽ offendimus: hæc sola sunt nostra: & nihilominus pro his fletu, lachrymis, gemitu, & pia demũ suppliciq; prece satisfieri sibi ille patietur. Laudate ergo & gratias agite: orateq; pro vobis metipsis, pro Regibus: pro populis: pro Christi grege: ꝓ omnibus deniq; hominibus. Id enim amicitiæ ius postulat: sed amicitia hæc nõ angustis finibus terminãda est. Omnes enim amplectitur homines: quãuis in aliospropẽsius, in alios suspensius ferri debeat: Sed tamen tam late protenditur, vt perueniat etiam vsq; ad inimicos: pro quibus ẽt orare præcipimur. Nemo est in genere humano, cui & si non pro mutua caritate, non tamen pro ipsa communis naturæ societate dilectio debeatur: Nõ tamen pro his orandum, qui infideles, vel impœnitẽtes hinc discesserint: quoniam pro talibus frustra oratio funderetur: sicut nec orandum pro Martyribus, quos iam constat cælo receptos. Date igitur operam, vt certatim in orationes eatis. Studeat vnusquisq; in tam pio orandi studio nemini cedere, & non pro se tantum, sed pro alijs quoq; oret. Iuuent se inuicẽ membra Christi hoc tam valido precũ auxilio. Coniungentur tunc orationes singulorũ: & vnanimis hæc erit contentio aduersus Dæmonum insidias: aduersus mundi carnisq; illecebras: aduersus pericula casuum fortuitorum, hominumq; improborum iniurias: quibus multi capti iacuissent, nisi ad orationẽ confugissent, hoc enim contra hostes, Christianorum semper telum fuit acerrimum. Nemo mihi dicat, quo egeo aliorum oratione? Nam vel hoc ipso eges maxime, quod te egere non sentis. Ipse Dominus in Oratione quam instituit, iussit omnibus dicere Pater noster: non Pater meus: da nobis, non da mihi: vt ostenderet non pro se tantum, sed pro alijs quoq; orandum, & vnumquenq; alienis ẽt precibus subleuari: fieriq; vix potest vt multorum in vnum conflata precatio diuinas aures vehementius non pulset: quod non delectet Deum consensus ille tantus multitudinis ad optima quæq; petenda: Hi qui minimi sunt in ecclesia, & per se minus valerent, tunc efficiuntur magni, & valent plurimum, vbi vnanimes copulantur. Iacobus Apostolus in epistola, hoc aperte suadet: veluti tuba ca-

nens. Orate inquit pro vobis inuicem vt saluemini. Oratum est ab ecclesia pro Petro in carcere clauso: Orari pro se rogat Paulus. Ego item obsecro, obtestorq; vos, vt me quoque miserum orationibus, precibusq; vestris subleuetis. Te autem pro his omnibus rogo cœli terræq; conditor, & mundi clementissime Faber, in nomine vnigeniti filij, quẽ ad humanæ salutis & redemptionis opus misisti, vt liberes ab omni malo: inducas eos in viam voluntatis tuæ: & in ea positos tueare: Nouerint se, nouerint te: Demum effice, & præsta: (potes enim & benignus es) vt seruando paucissima quæ præcepisti, breuissimo in tempore, mereantur habere prolixissima, quæ promisisti omni æuo duratura. Hæc ego pro his, pro meq; peto: & iã communi prece quicunq; adsumus omnes: (detegite caput ciues & humi genua inclinate, & mecum pariter taciti orate) communi inquã prece omnes beneficientiam tuam largitatemq; imploramus. Cupimus maiestatis tuæ dextera sustentari. Cupimus tuam promereri gratiam: tuo maximo munere. Venimus pauperes ad diuitem: miseri ad fœlicem: Ne vacui recedamus. Moueat te vnigeniti tui sanguis (maximum pietatis tuæ argumentum) quo perfusi sumus, quẽ sequimur: cui hæremus: Nõ est vllus præter te Deus: ideo ad te merito confugimus in tantis peccatorum miserijs: quas effrenis animi libido, insolentia terrenarum voluptatum, & indomiti oculi nobis pepererunt. Tu salus vna cunctorum. Nemo vnquam prostratus, te sensit iratum. Potes plus vnus dimittere, quàm omnes committere: Tua voluntas insuperabilis est: ei præsto sunt omnia. Tuum est imperium, tua gloria, tua omnipotentia in omni seculo. Amen.

DOR. Quid ais nunc Marine? qualis hæc tibi videtur Oratio? MAR. Oratio hæc, quæ de orando Deũ habita est, facile mihi suasit longa oratione à Deo impetratam fuisse: ita perfectam & absolutam iudico. Quid plura? rapuit ad se mentem tam validè, vt sine ea esse non possim, quin etiam meam facere cogito. DOR. Non reddes ergo librum? MAR. Non. DOR. At ego scripsi, scriptumq; tibi vltrò dedi. MAR. At ego legi, lectumq; nec rogatus reddam. DOR. Quid cogitas? MAR. Librum edere sub mei nominis titulo: cũ his quæ gesta sunt inter nos: idq; vt assentiaris peto. DOR. Assentior equidem, modo idem huic videatur cœtui. COETVS. Videtur.

FINIS.